





1887

22 3

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

JURE SINGULARI PAUPERE TATIS,

Quam

Divinâ annuente gratiâ,

Ex decreto & autoritate Magnifici Juris-Consultorum

in Illustri Leucoréa Ordinis,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO,

DN. CHRISTOPHORO REZEX

J. U. D. Serenis. Electoris Saxonæ Consiliario Appella-

tionum Magnifico ac Facultatis Juridicæ Asses-

sore gravissimo,

Patrono suo sincerissimo affectu colendo,

PRO INFULA DOCTORALI,

una cum omnibus immunitatibus & honoribus

rite obtinenda,

publicè & solenniter discutiendam sistit

CHRISTOPHORUS ANDREAS REZEX

Annæberg. Misn. Civitatis Luccaviensis in inferiori

Lusatia Syndicus,

die 2. Aprilis

Horis ante- & pomeridianis.

WITTEBERGÆ,

Typis DANIELIS Schmaß/ Acad. Typogr. ANNO 1672.



REVERENDISSIMO ATQVE SERE-
NISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN.

CHRISTIANO,

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC
MONTIUM DUCI, EPISCOPATUS MARTIS-
BURGENSIS POSTULATO ADMINISTRATORI,
LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ,
UT ET SUPERIORIS ATQVE INFERIORIS
LUSATIÆ, COMITI DE MARCA ET RA-
VENSBERG, DYNASTÆ IN RA-
VENSTEIN, &c.

PRINCIPI PIO, FELICI,
PATRI PATRIÆ OPTIMO,
MAXIMO,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

VITAM LONGEVAM,
DOMUM FLORENTEM,
PACEM CONSTANTEM

DEVOTISSIME
PRECATUR,

SIMULQVE INAUGURALEM HANC DISPUTA-
TIONEM RELIGIOSE CONSECRAT

*REVERENDISS. AC SERENISS. EJUSDEM CELSITUDINIS
SUBJECTISSIMUS*

CHRISTOPHORUS ANDREAS NITZSCH.



Propitiô Numine!



Vemadmodum nervi prima sunt in animalium corporibus instrumenta motûs, quibus deficientibus nec deambulare homines aut bruta, nec artus poterunt contineri: Sic in Republica pecunia & divitiæ omnium rerum sunt organa, ita ut sine ills nihil quidquam fermè comparari queat. Atq; inde est, quòd rerum gerendarum nervi & spiritus vitales audiunt, cum tanta ipsis insit vis, ut nihil tam firmiter munitum, quin iisdem expugnari; nihil tam bene custoditum, quin ope pecuniæ possit occupari. Contrà paupertas onus Æternâ gravius communiter prædicatur, nihilq; majori probro ducitur, aut latiore sceleribus aperire fenestram existimatur, quàm ipsa paupertas. Quod quidem licet ob Historiarum lucem negari non possit, magnumq; opprobrium esse paupertatem Horatius canat, *lib. 3. carm. oda 24.* laudatus à Gailio *lib. 2. de P. P. c. 2. n. 2.* atq;ve eam in multis detrahere integritati & existimationi constet, P. Gregor. Tholosan *c. 11. n. 8.* luti Molinæum conquestum novimus, Mornaciô notante *ad l. 2. de O. 7.* se ad angustiam rei familiaris reductum multis despectui esse: non pauca tamen in jure sunt introducta in pauperum emolumentum ac favorem; unde paupertatem in malorum sortem non numerari dicit Ambrosius, *can. illa 6 XV. q. 1.* neq; inferiorem aut abjectura quem facere evincit *can. legimus 24. §. potentia, dist 93. junct. l. 7. C. de incest. nupt.,* sed potiùs bonæ mentis soror appellatur, Hering. *de fidejuss. c. 8. n. 84.* quippe cui succurrendum potiùs, quàm succensendum censuerunt prudentes, *arg. l. 8. §. 8. ff. mand.* Neq; parvi fecisse pauperes Clodovæum II. Galliæ Regem ostendit Symbolum ipsius: *Viva DEI templa pauperes.* Limnæus *in notie. Regn. Franc. lib 2 c. 18.* Hæc paupertatis materia meam in præsens exercebit industriam. Non tamen latisimè patentem illius

campum a capite ad carceres percurrere, sed extremis, quod ajunt, digitis tacto paupertatis odio, commodis ipsi in Jure tributis imprimis laborem meum mancipare animus est. Sit igitur supremum Numen mihi principium, medium & terminus. *Nov. 109. pr.*

SECTIO PRIMA

De

Paupertate in genere.

Membrum I.

Quis dicatur pauper, quidq; sit paupertas, explicat.

§. I.

*Pauper
quis?*

PAUPER quis verè censendus sit, non usquequaq; convenit inter Dd., dum alii pauperem esse volunt eum, qui bona propria mobilia & immobilia non possidet, sed operis manualibus se sustentare necesse habet, juxta tradita Cravetta *conf. 199. n. 8.* Dn. Carpz. *part. 3. const. 13. def. 21. n. 6.* quod admittendum pro legato pauperi relicto, cum legantis ultima voluntas ad amussim sit adimplenda, *l. 19. ff. de condit. & demonstr. l. 1. C. de SS. Eccles.*; alii eum, qui neq; artem aliquam didicit honestam, unde se suosq; alere potest; neq; bona, neq; divites consanguineos & propinquos habet, qui ipsi sumptus subministrare & suggerere queant. Mascardus *de probat. concl. 1114. n. 35. & seqq.* Jure Camerali quandoq; pauper is creditur appellans, si summa trecentos florenos non excedat, qui jurat, se non plus, quam duo millia florenorum habere, per R. I. *de anno 1654. §. Auff daß ic. 114.* Sprengerus *in Jurispr. publ. pag. m. 62.* etiamsi nullum documentum suæ paupertatis à Magistratu vel aliàs fide dignis exhibuerit, quod requirebatur antea. *Ordinat. Camer. part. 1. t. 41.* Sunt nonnulli, qui pauperum classem centum aureis circumscribunt. *gloss. ad Nov. 53. c. 6. in voc. pauper.* Mart. *decis. Pisan. 21. n. 19.* Frequentius qui minus, quam quinquaginta aureos in bonis habent, pauperum appellatione venire solent, *sec. l. 10. ff. de accus.* Verùm, cum nihil certi hac de re in legibus constitutum & definitum sit, prudentiæ

sentia judicis id totum relinquendum esse communiter concludunt, arg. l. i. §. fin. ff. de jur. delib. Colerus de process. execut. part. 1. c. 6. n. 163. Jac. Thoming. decis. 40. n. 3. Menoch. de arb. jud. quest. lib. 2. cent. 1. cas. 65. Æstimabit igitur Judex, quoniam secundum regionum aut temporum varietatem, patrimonii quantitatem, status ac dignitatis conditionem, & causæ, de qua tractatur, qualitatem, talis sit habendus. Rittershus. ad Novell. part. 7. c. 17. n. 6. & part. 9. c. 9. n. 18. ubi addit, pauperem non dici ἀπλως, sed ad quid, quia pauper aliquis esse potest in ordine patricio, qui dives est in ordine plebejo, & contra. Apud Hebræos, quis pauper fuerit, variatio est: dicebatur enim talis, qui in bonis habebat quinquaginta siclos sacros, licet non negotians: aut opes habebat, sed æri alieno obnoxias; quæq; jura paupertatis ibi, videri potest prolixè apud Selden. de jur. nat. & gent. juxta discipl. Hebr. lib. 6. pag. m. 724. 730. 734.

§. 2. Describi potest paupertas, quod sit impotentia, quâ quis pro status ac dignitatis suæ conditione in societate civili se suosq; egre vel parùm, aut prorsus non sustentare potest. Hinc pauperem appellare non dubito eum, qui nihil aut non tantum in bonis habet, unde secundum dignitatem suam vivere queat. Mascard. de probat. concl. 1159. num. 13. & 14. Casp. Mantzius in patroc. debit. decad. 2. qv. 5. n. 14. Differentiam quidem constituunt Dd. inter pauperem, egenum & inopem, ut pauper sit is, qui destitutus divitiis habeat tamen, unde vivat, Magnificus Dn. Zieglerus, Vir in omni jure admiraculum versatissimus, Patronus meus inæstimatissimus, in not. ad Lancellot. Inst. jur. can. tit. qui matrim. accus. poss. §. 5. pag. 476. Egenus, qui non habet unde se alat, arg. l. 3. §. fin. ff. ubi pup. educ. vel mor. deb. Addatur l. 2. C. de patrib. qui fil. distrax. Inops, qui sine substantia est. Lucas de Penna ad l. 2. C. quand. & quib. quart. pars deb. lib. 10. Promiscuè tamen nunquam non his vocabulis utuntur Autores:

Quid paupertas?

Membrum II.

Quotuplex sit paupertas, ostendit.

Paupertatem aliam esse necessariam, aliam voluntariam *Necessaria paupertas.* nemo fortè ambiget. *Necessariam* illam appello, in quam quis sine facto suo incidit. Et huc pertinent, quos pauperes natiuitas fecit

A 3. CAN.



*San. Sacerdos 9. l. qv. a. Item, qui vi majore sive casti, puta, naufragi-
 fragiō, incendiō, ruinā, bellō & aliis ejusdem farinae modis opes
 perdidit suas. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. l. 18. pr. ff. commodat. Et
 hæc est, cui multis privilegiis ac immunitatibus prospexerunt legis-
 Voluntaria. latores. can. consideranda 17. dist. 86. Voluntariam paupertatem
 dico, quam culpā suā quis sibi adscivit. Talis est eorum, qui prodigalitate & luxuriā dissiparunt substantiam, dum neq; tempus, neq; finem expensarum habuerunt. l. 1. ff. de cur. furios. Referendi huc & illi, qui desidiā suā pauperes efficiuntur, Colerus de process. execut. part. 1. c. 10. quiq; tales facti sunt ex scelere. tot. tit. ff. de bon. damn. Ejusmodi paupertatis nullus est in Jure favor: nam damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi adscribere debet. l. 57. ff. mandat. l. 3. §. 6. ff. si cui plus quam per L. Falcid. Spectat huc etiam illa voluntaria eorum, qui in Papatu cucullum induerunt, cum sit directè expetita & sponte quæsitā, quam Theologi nostrates meritò damnant, quia eam affectantes non prospiciunt sibi ex ordine, quem DEUS ipse per naturam approbavit, seq; ipsos multis tentationibus obnoxios reddunt, rejicientes illud, quod à DEO quotidie petendum, panem nempe quotidianum. Nec cucullatos illos Monachos pauperes verè dixerim, cum in Cœnobiis vivant, ubi rerum omnium affluentia; ex quo copiae cornu dum singuli per singulos dies portiones suas petere jure possunt, nulla vera erit paupertas.*

Membrum III.

Diversos probandæ paupertatis modos enucleat.

§. 1.

Quis probare teneatur? Quandoquidem ea, quæ probari & ostendi nequeunt, pro non existentibus habentur, l. 77. ff. de contr. emt. arg. l. 17. ff. de in diem addict. l. 30. ff. de test. tut. ante omnia sciendum est, cui onus probandi quando quæritur de paupertate, incumbat. Videri posset is, qui non solvendo se esse, aut in bonis nihil habere dicit, relevari à probatione, tum quia negativam tenet; negantis autem per naturam nulla est probatio, c. 5. X. de renunciat. l. 2. ff. de probat. l. 23. C. eod. l. 10. C. de non num. pec. tum quia quisq; præsumitur pauper, cum omnes nascamur nudi, can. sicut ii 8. dist. 47 præsumtio autem trans-

transfert onus probandi in adversarium, *arg. l. 1. §. 1. ff. de probat. & l. 31. ff. de reb. aut. jud. poss.* Verum, his non obstantibus, dicendum potius est, illum, qui pro se allegat paupertatem, ad probationem teneri, sive creditor sit, sive debitor. Matth de Afflictis *decis. 377. Dn. Carpz. part. 3. const. 13. def. 21. n. 4.* Nam expediti juris est, quemlibet fundamentum intentionis suae probare debere, *gl. in l. 5. §. 1. verb. dubitetur, ff. qui satisd. cog.* sive in affirmativa se fundet, sive in negativa, *l. 19. ff. de probat.* adeo, ut praesumptio, quae alias stat pro paupertate, nihil operetur, quando paupertas est fundamentum intentionis alicujus, Menoch. *de praesumpt. lib. 6. praesumpt. 25. n. 14.* Mascard. *de probat. concl. 1159. n. 5.* & exinde negans quoque illud probat, quod ad fundandam intentionem adducit. Gothofredus *in not. ad l. 5. ff. de prob. & praesumpt.* Illud quidem verum est, quod negantis per rerum naturam nulla sit probatio. Distinguitur tamen inter *negativam Facti, Juris, & Qualitatis*: Ubi quae facti dicitur, directo probari nequit, nisi affirmativae implicetur. Quae vero juris est, ut, si quis neget testamentum esse rite perfectum, probari omnino debet. *l. 11. l. 14. C. de probat.* Similiter negativa qualitatis, v. g. si quis negetur dives, probanda est. Vid. Francisc. Herculanius *sr. de proband. negativ. Hahnus ad Wesenbec. de probat. n. 6.*

Disse

§. 2. Probandae paupertatis varii varios congesserunt modos, atque probare eam asserunt (1.) *relatione vicinorum*, qui alias probatae sunt fidei, & non fovent inimicitiam adversus pauperes. Dn. Carpzov. *Jurisprud. Consist. lib. 2. def. 225. num. 9.* Rosbach. *prax. Crim. c. 4. t. 1. n. 4.* quia vicinus praesumitur scire facta vicini, *c. 7. X. de praesumpt. l. 1. §. 1. ff. de fluminib.* Gail. *lib. 1. obs. 142. n. 6.* Mascard. *de prob. concl. 1159. n. 23. 25.* (2.) *per consanguineos*, cum verisimile non sit, conjunctos facta conjunctorum ignorare, *l. 9. ff. Unde cognati.* Benevent. Stracha *in tr. de mercat. rubr. de decoctor. p. 4. n. 7.* (3.) *per alios testes*, qui deponunt v. g. Titium habere tot bona, veluti aliquot aureos, & si plura haberet, se scire oportere propter peculiarem patrimonii notitiam. Mascardus *d. loc. n. 39.* (4.) *testimonio Magistratus loci illius*, ubi quis domicilium habet, Ord. Camer. *part. 1. t. 41.* cum de eo ex libris censuum, pensitationum, contributionum constare possit, ubi in nullo pauperes censiti fuerunt. Gail. *d. loc. n. 6. per gl. Bart. & alios in l. 5. §. 1. ff. qui satisd. cog.* (5.) *per famam publicam*, Mascard. *d. loc. num. 19.* praesertim si con-

Probationis
modi
1o
2o
3o
4o
5o
juncta



6. juncta sit fama cum credulitate, i. e. scientia attestantium, qui idem dicunt & credunt, ac non tantum pauperem, sed etiam manifestò pauperem quem esse asserunt. Speckhan. cent, t. 9. 38. n. 9. Quod tamen limitat Mascardus, ut procedat, quando agitur de modico præjudicio, non verò de magno, quò posteriore casu nõ tam probationem, quàm probationis adminiculum facere famam contendit, *ibidem* n. 20. (6.) *per juramentum, Nov. 135. c. 1. verb. jusjurandum per adoranda præbeat eloquia &c.* quod inde juramentum paupertatis indigitatur. Quoniam autem difficile admodum est, certi quid hinc constituere, quænam scilicet hac in re plenam faciant probationem, totam rem judicis arbitrio committendam autumo, qui non ad unam speciem probationis mentem applicare, sed ex variis allegationibus & aliis, quæ proponuntur, juxta causæ circumstantias animi sui sententiam formare necesse habet, l. 3. §. 2. ff. de testibus, c. 6. X. de renunc. id quod & supra attigi.

SECTIO SECUNDA

De

Incommodis & odio paupertatis.

Membrum I.

Quando pauperes deteriores sint conditionis, quàm divites, indicat.

§. 1.

*Odiumpau-
pertatis in
delictis.*

PLurimis in casibus pauperes deteriores multò sunt conditionis, quàm divites. Ecce enim pauperes gravius puniri propter commissæ delicta, quàm divites, concludunt communiter *ex l. 4. §. 1. ff. de incend. ruin. naufr. & l. 4. C. de summ. Trin.* quamvis neutra lex id adæquatè probet: *d. l. 4. ff. enim in §. 1. naufragorum bona diripientes variè quidem pro personarum conditione & rerum qualitate punit, & l. 4. C. de summ. trin. cæteros liberos homines, qui de orthodoxa fide temerè in publico disputant, jam relegat, jam aliis suppliciis subjicit, in servos verò severius animadvertit; sed an in utraq; lege*

lege divites à pauperibus secernendi sint, quoad punitionem, de eo altum est silentium. Quidquid hujus sit, assertum illud commune non simpliciter capiendum est; sed distinctione quadam res erit expedienda. Nam vel venit imponenda poena pecuniaria, vel poena corporalis: Priori casu, si poena statuta fuerit ordinaria, pauper gravius punietur, quam dives, ita, ut si non habeat in aere, luat in corpore, *l. 1. §. 3. ff. de poen. l. fin. ff. de in jus voc. l. 7. §. 3. ff. de jurisd. l. 9. ff. de incend. ruin. naufr. l. 6. §. 6. C. de moa. mult. l. 4. vers. quod si. C. de serv. fugit: sin* extraordinaria, mitius puniendus est pauper, *per l. 6. §. fin. ff. de off. pres. necessitas enim, quæ nonnunquam impellit ad delinquendum, veniam aliquam habet apud humaniter judicantes, quia multa cogit homines inopia facere, in quibus misericordiam justius, quam poenam inveniant. Nicolaus Reusnerus lib. 2. decis. 16. concl. 48.* Posteriori casu iterum distingvendum erit inter illud delictum, cui à lege certa statuta est poena, & illud, cujus poena est penes iudicis arbitrium, uti fieri solet in criminibus extraordinariis. Si prius, citra ullum personarum respectum nobiles ac ignobiles, divites & pauperes eadem poenâ sunt afficiendi, quia, ubi lex non distingvit, nec nobis licet distingvere: Sin posterius, gravior infligenda erit poena diviti, quam pauperi. Et in genere dicendum, non ignosci debere ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam elegit. *l. 43. §. 5. ff. de rit. nupt.* Unde nec meretrix ob famis necessitatem à poena fornicationis, nec leno summam quantumvis inopiam prætendens à lenocinii poena excusabitur. *Dn. Carpz. part. 4. const. 29. def. 10. n. 3. Et in prax. crim. part. 2. q. 70. n. 3. Et qv. 71. n. 70.*

Dist.

Subdist.

§. 2. Non incommode hinc quæritur, an pauper in famis necessitate constitutus comestibilia, aut in nuditatis necessitate vestimenta subripiens furti poenâ sit puniendus? Respondetur, quoniam furtum verè committi extra omnem dubitationis aleam positum est, cum nec dolus absit, quando invito dominò res alterius contrectatur, nec lucrifaciendi animò careat ejusmodi fur, uti ex Magnifici Dn. Ziegleri notis *ad Grot. lib. 2. c. 2. §. 6. Et 7. de J. B. Et P.* pluribus ostendi *in disputatione de Casu Fortuito habita d. 21. Sept. Ann. 1667.* à poena non esse immunem ejusmodi hominem, cum hac tamen restrictione, ut non ordinaria, sed extraordinaria poena habeat locum, præprimis, quando tanta est famis necessitas, ut non possit,

Qu.

Resp.

Limit.

B

nisi



nisi per esculentorum subtractionem, mortis periculum evitari. Ordin. crim. Caroli V. art. 116. vers. So iemand durch rechte Hungers Noth ic. Id quod extendendum etiam est ad corporis nudiditatem propter c. 3. X. de furtis. Ut ut tutius hinc foret, si mendicatio velletur cibò aut veste precibus impetratà operiretur.

§. 3. Secundum paupertatis incommodum illud est, quod repellat aliquem ab accusando, juxta l. 10. ff. de accus. ob rationem, ne propter inopiam acceptà pecunià quis indebitè ad accusandum procedat. Speckhan. cent. 2. q. 38. n. 14. Hodiè tamen pauperem honestæ vitæ & fidei non repelli ab accusatione statuit Julius Clarus §. sent. §. ult. qv. 14. vers. Sed hic etiam quæro. ac neminem sola paupertas suspectum facit. Magnif. Dn. Zieglerus ad Lancelot. supra all. loc. pag. 476.

§. 4. Tertiò illud quoque est inter odia paupertatis, quòd fidejussores non possint dari, qui non possident bona, unde queant solvere. Dantur scilicet fidejussores pro debito alieno in securitatem creditoris. tot. tit. ff. & C. de fidej. Necesse igitur est, ut sint idonei: eo ipso autem, dum dico idoneos dandos esse, satis abundèq; demonstratur, nec egenos l. 3. §. ult. ff. ut in poss. legat. nec tales, qui ob paupertatem ad litem non sufficiant, l. 41. pr. ff. de hered. pet. sed omninò locupletes dandos esse, qui & obligari & conveniri queant. l. 5. §. 1. ff. qui satisd. cog. l. 3. ff. de fidej. Ad quid enim talis proderit fidejussor, qui fallente reò inopià satisfacere non potest? ut scitè quærit Hering. de fidejuss. c. 8. n. 59. Quà ratione diligentius cautum esse dicetur hanc fidejussione? pr. Inst. de fidejuss. Idoneus namq; is demum est, qui est locuples & solvendo, l. 2. §. 1. ff. de fund. dot. l. 27. §. 3. ff. de minor. & similiter locuples dicitur, qui satis habet pro magnitudine rei, de qua controversia agitatur. l. 234. §. 1. ff. de V. S. Hering. de fidejuss. d. loc. n. 53. qui ibid. n. 67. In summa ego opinor, ait, præsertim hinc exulceratissimo seculò, quò manus oculata sunt & tantum id credunt, quod vident. (unde etiam in Novell. 3. in præfat. creditores increduli vocantur) neminem pro idoneo fidejussore habendum esse, nisi qui mediocres habeat facultates, ita, ut earum ratione & obligari atq; etiam conveniri possit. l. 2. pr. ff. qui satisd. cog. l. 3. ff. de fidej. Obstare videtur huic sententiæ l. 2. §. 4. ff. qui satisd. cog. ubi verba hæc Edicti: *qualiscunq; fidejussor*: à Jcto explican-

tur

Obj.

Resp.

Qv.

Resp.

etur etiam de non-locuplete. Verùm responderi potest, id in d. text. agatur de iudicio sistendi causa, quæ non fidejussoribus. Quando igitur in jus vocantur patres, patroni, liberi, aut similes necessariae personæ & paratæ sunt cavere iudicio sisti, audiendæ sunt, ne invitæ ire cogantur. Quæritur nunc, qualem possint dare fidejussorem? Certè, ab aliis in jus vocatis pro rei qualitate locuples fidejussor est dandus. l. 1. pr. ff. in jus voc. ut eant. Sed quia prædictæ personæ, de quibus propriè agitur in Edicto, l. 2. §. 2. ff. qui satisdat. cog. sunt necessariae, non necesse habent fidejussorem dare locupletem, sed liberantur, si modò qualemcunq; dederint, etiam non locupletem, quem equidem in jus vocans nolens volens accipere obstringitur. d. l. 1. & l. 2. ff. in jus voc. ut eant. Wissenbach. Diss. 7. ad Pand. tit. 17. idq; propter reverentiam & honorem inter ejusmodi personas intercedentem, cum de fide illarum ambigere turpe sit. Ant. Perez. ad tit. C. de satisdand. n. 3. Dummodo aliàs quoad conveniendi facultatem fidejussor sit idoneus. Zoës. ad ff. qui satisd. cog. n. 12. Magis adeò necessarium est, ut fidejussor talis conveniri possit, quàm ut sit dives: quoniam ex paupere dives fieri, idque bonò omine sperari potest. At conveniendi difficultas, quæ ut plurimum vel ex sexu, vel ex dignitate, vel ex malis moribus proficiscitur, augeri faciliùs & probabiliùs potest, quàm minui, ut pulchrè loquitur Ant. Fab. in Rational. ad d. l. 2. §. 4. ff. qui satisd. cog. Hillig. ad Donell. lib. 23. cap. 9. lit. L.

§. 5. Quartò paupertate sordescimus, deprimimur, vilescimus, adeò, ut cogamur satisdare, l. 15. ff. qui satisd. cog. l. 27. C. de E-pertatis in-pisc. aud. hinc & mulier, si maritus ad inopiam vergat, repetere valet dotem, constante adhuc matrimonio, l. 24. in pr. ff. sol. matrim. aut agere ad ejusdem indemnitatem. l. 29. l. 30. C. de jur. dot. Sic ab honoribus arceri quem paupertas facit, l. 45. C. de decurion. lib. 10. l. 6. ff. de mun. & bon. nocet in transactione alimentorum, l. 8. §. 11. ff. qui satisd. cog. in adoptionibus l. 17. §. 2. ff. de adopt. præjudicat in actione de delo proponenda, l. 11. §. 1. ff. de dol. mal. testem itidem minùs habilem reddere dicitur, l. 3. ff. de testib. ex eo, quòd facile præsumatur corruptus pecuniâ propter inopiam, Mascardus concl. 1160. num. 2. & quæ alia sunt paupertatis odia, quæ recenset Lucas de Penna ad l. 6. C. de his, qui num. lib. vel paup. lib. 10.

B 2-

Mem-

14
Membrum II.

In quibus casibus à testimonio repellantur,
enarrat.

§. 1.

Qu.

Resp.

Dist.

Ad testimonium perhibendum minùs habiles paupertatem nos reddere jam dictum est. Sed dubium oritur, an illud simplices procedat in omnibus causis? Mascardus *d. loc. n. 1.* longò ordine recenset Autores, qui à testimonio repellendos esse pauperes volunt, tam in causis civilibus arduis, quàm criminalibus, & quæ his æquiparantur, matrimonialibus; ideò, quia in criminalibus luce meridianâ clariore probationes requiruntur, *l. fin. C. de probat. l. 5. ff. de pæn.* & in matrimonialibus plena quoq; desideratur probatio, *Alex. conf. 143. col. 2. vol. 2.* testes autem omni exceptione majores nequeunt esse pauperes. Non desunt quidem, qui concedunt pauperibus in criminalibus testimonii dicendi facultatem, si torturæ se subjici patiantur, *Felin. ad c. 8. X. de testib. Bartol. in l. 15. ff. de quest.* quibus tamen alii contradicunt, etiam sine tortura tales admittentes. *Abbas ad d. c. 8. Cæpol. conf. 60. col. 1. vers. 2.* Discrepantes has opiniones conciliare nititur Mascardus *sæpius all. loc. n. 14.* distinguendo inter testes ignotos, obseuros, vacillantes, ad testificandum se offerentes, aut de mendacio convictos; & testes, quibus nihil aliud, quàm paupertas, potest objici, quiq; accedunt rogati: hos etiam sine tortura admittendos censet, licet minorem ipsis habendâ esse fidem, quàm cæteris, opinetur; non verò illos: quamvis ego putârim, quòd hi, quibus juxta ipsum Mascardum aliud objici nequeat, quàm sola paupertas, omni sint fide digni, cum illa sola nullam per se inducat suspicionem. *§. ult. f. de susp. rut.* Parili ratione Autores circa pauperum testimonium in matrimonialibus dissentientes erunt in concordiam adducendi, si diceretur, testes pauperes bonæ opinionis & famæ non esse rejiciendos, bene tamen inhonestos & vacillantes. *Dec. conf. 163. col. 3. n. 7.* Ita Hondedæus quoq; docet *in consult. 77. v. l. n. 43.* & præterea *n. 42* tradit, quòd ejusmodi pauperes & in testamentis testes sint idonei, imò etiam in reprobatione instrumenti, *n. 44.* Facit, quòd juxta *Dd.* ubicunq; agitur de factis obscuris & clandestinis, admittantur etiam probationes semiplenæ & testes aliàs inhabi-

Inhabiles, cum aliter veritas haberi nequeat. *c. ult. X. de testib. cog. c. 5. X. de probat. l. 8. §. 6. C. de repud.*

§. 2. Colligi potest ex jam dictis, solam paupertatem neminem reddere suspectum testem, nisi suo vitiō pauper quis sit effectus, aut alius defectus concurrat. Menoch. *de arb. jud. qv. lib. 2. cent. 1. c. 96. n. 10.* Modest. Pistoris *consil. 17. n. 17. vol. 1.* Contra ea, si honestæ quis vitæ est, & bonæ existimationis, aut in dignitate constitutus, omnis cessat suspicio corruptionis. Unde haud ineptè dicitur: Pauperes non tenuitas, sed mores faciunt suspectos. Anton. Matth. *de criminib. tit. de prob. c. 2. n. 10.* Magnif. Dn. Ziegler. *ad Lancellor. supra alleg. loc. p. 476.* Excipit tamen ipse Justinianus *in Nov. 1. c. 2. vers. Si verò absunt &c.* Confectionem inventarii, cui interesse debent testes non tantum fide digni, sed & possidentes substantiam. Nisi dicere velimus *in all. Nov.* non tam excludi pauperes, quam egenos sive inopes, *sec. Dn. Zieglerum, all. loc.* aut specialissimum esse casum de hærede, qui in omnibus satisfacere debet testatoris voluntati, & quartam tamen Falcidiam salvam habere vult, cum & tres requirantur testes, & totum negotium tangat meticolosam hæredem.

Excepe.

SECTIO TERTIA

De

Commodis & favore paupertatis.

Membrum I.

Paupertatis commoda circa primum juris caput exhibet.

§. 1.

Quemadmodum is, qui servum manumittebat olim, nanciscabatur in eum Jus patronatus, quod consistebat in hoc, ut liberus præstaret patrono reverentiam & obsequia, *tot. tit. ff. de obsequ. par. & patr. prest.* ut teneretur ad operas in manumissione imposi-

B 3

tas,



tas, l. 2. § tot. tit. ff. & C. de oper. lib. ut aleret patronum inopem
l. 5. §. 18. ff. de agnosc. & al. lib. & qui alii sunt juris istius effectus, de
quibus videri potest. tit. ff. de jur. patron. tit. C. de bon. libert. & jure
patron. Nov. 78. c. 2. Ita etiam is, qui dotavit aut fundavit Eccle-
siam, Jus patronatus consequitur in eandem. can. monasterium 33.
can. filiis 31. XVI. q. 7. c. 25. X. de jur. patron. Id verò nihil aliud est,
quàm facultas presentandi aliquem ad officia sacra in Ecclesia illa

Jus patro-
natus.

obeunda. Rittershus. ad Novell. part. 1. c. 7. n. 77. Hoc Jus patro-
natus aliud est Ecclesiasticum, aliud Seculare. Ecclesiasticum con-
sequi dicitur, qui ex ipsius Ecclesiæ bonis ædificat Ecclesiam. Non
igitur sufficit, ut à Clerico fiat constructio aut dotatio, nisi fiat ex
bonis Ecclesiasticis; cum non ratione personæ, sed ratione bonorum
Ecclesiasticum dicatur hoc Jus. Seculare dicitur, quando quis, sive
Clericus sive Laicus, fundat, dotat aut construit Ecclesiam de rebus
patrimonii sui secularis. Reinking. de Reg. Sec. & Eccl. lib. 3. class. 9.

Patroni Jus
utile.

n. 44. & seqq. Sicut verò circa pr. b. §. dixi depauperatum dominum
à libertato esse alendum: Sic patronis illis, qui de facultatibus suis
Ecclesiæ aliquid contulerunt, liberisq; eorum, si vergant ad inopiam,
vitæ suffragia ab Ecclesia sunt præstanda. Dn. Carpz. Jurispr. Con-
sist. lib. 2. tit. 20. def. 316. num. 10. can. Contra Sanctorum, 29. can. qui-
cunq; 30. XVI. q. 7. c. 25. X. de jure patron.

Ejus requi-
sita.

1.

2.

3.

§. 2. Quærat hic non nemo, numquid indistinctè concedenda
sit ista patroni alimentatio? R. Ut locum habeat, quatuor concurrere
debere (1.) ut redactus sit ad eam paupertatem, quæ impediatur, quò
minùs vivere queat cum suis secundum suam dignitatem; Id quod
innuunt verba text. in d. c. 30. pro temporis usu. (2.) ut super-
sit Ecclesiæ tantum, quantum sufficere potest ad alendum patronum,
deductis necessariis impensis: primùm enim ministris Ecclesiæ, cul-
tui divino & reparationi templorum prospiciendum, ac postea de
iis, quæ supersunt, subveniendum patrono. (3.) ut modici impen-
dantur sumtus, ne egeat ipsa Ecclesia: nam hoc vult voc. Modestè
in c. 25. X. de jur. patron. Pro modo igitur proventuum instituat
alimentatio. Reinking d. loc. n. 65. Si autem Ecclesia ipsa egestate
laboret, postponendus erit patronus, cum in pari causa illius me-
lior, quàm hujus, debeat esse conditio. Hostiensis ad d. c. Add. l. 5.

§. fin.

§. fin. ff. de agnosc. & al. lib. (4.) ut accedat consensus Episcopi.
 Cæsar Lambertinus de Jur. patron. q. 3. art. 2. n. 1. 2. Paulus de Cita-
 dinis de jur. patron. part. 6. art. 4. n. 1. 4. 5. 6. Quæ de patroni ali-
 mentatione dicta sunt, ea quoq; extenduntur ad Præceptores, quip-
 pe quos à discipulis alendos ac sustentandos esse affirmant. Surdus
 de aliment. tit. 1. q. 53. Gvil. Ant. de Freundeberg. de rescript. morat.
 tit. 7. concl. 44. n. 38. Nobile hujus rei exemplum præbet JCrus Sa-
 binus, quem Pomponius in l. 2. circa fin. ff. de O. I. adeo pauperem
 fuisse scribit, ut à suis auditoribus fuerit sustentatus. Contra Ma-
 gistros sine didactro docere & instituere pauperes discipulos summæ
 æqvitatatis est. Roland. à Valle conf. 87. n. 41. Tiraqv. de nobilit. c. 29.
 n. 42. ubi refert exemplum Damiani Sophistæ, qui egenis merce-
 dem remisit, ne pecuniarum inopiâ bona ingenia laterent. Simi-
 liter Taberii Hieræ Grammatici laudatur factum, qui Syllanis tem-
 poribus proscriptorum liberos gratis in disciplinam recepisse scri-
 bitur. Speckhan. cent. 1. q. 37. n. 11.

Præceptores
pauperes.

Discipuli
pauperes.

§. 3. Illud in disquisitionem hîc venire posset, quidnam spe-
 ciale circa patronum pauperem in rexx. circa fin. §. 1. bujus se&t. allegg.
 fit statutum, cum aliàs Ecclesia de superfluis debeat subvenire omni-
 bus pauperibus: nam aurum habet Ecclesia, non ut fervet, sed ut
 erogat ac subveniat in necessitatibus, can. aurum 70. XII. q. 2.; quâ
 ratione egentium pabula inter pias causas ab Imp. Justiniano recen-
 sentur. Nov. 131. c. 13. Add. Nov. 3. c. 3. Facit, quod, quidquid habent
 Clerici, pauperum esse credatur, can. fin. XVI. q. 1. Hinc in primi-
 tiva Ecclesia verbi ministros quidquid ex collationibus piorum reli-
 quum habebant, in pauperes erogasse legimus. Quod quidem ho-
 diè, postquam pauperibus hospitalia assignata sunt, non esse neces-
 sarium asserit Didacus Spino à Caceres, in specul. testam. gloss. rubr.
 part. 14. num. 13. Sed perperam, uti notat Magnif. Dn. Ziegler. ad
 Lancelot. de reb. Eccles. non alien. p. 618. Tantus nimirum paupertatis
 est in jure favor, ut pro ea interdum lex corrigi ac mutari posse
 credatur, exemplo Nov. 2. pr. Est enim magistratûs pii ac religiosi
 prospicere egenis atqve in necessitate constitutis, l. 21. C. de SS.
 Eccles. can. gloria 71. XII. q. 2. can. Episcopus 23. XII. q. 1. Sicut igitur
 permittebatur olim patri facultas vendendi filium propter nimiam
 paupertatem egestatemq; , l. 2. C. de patr. qui fil. distr. cum crudele
 admodum

Quo



Reff.
Ratio speci-
alitatē in
patrono
paupere;

admodum & immane sit fame homines necari & alimoniam destitui,
l. 4. ff. de ag. & al. lib. Ita quoque earum rerum, quæ divini juris atque
extra commercium sunt, propter pauperum alimoniam licita est
alienatio. Reusnerus lib. 4. decis. 1. num. 23. Rittershus. ad Novell.
part. 1. c. 8. n. 37. Ad feudi verò Ecclesiastici alienationem conce-
dendam non satis idoneam causam esse solam Vasalli paupertatem
Petrus Gilkenius contendit ad §. sacra Inst. de rer. div. n. 18. p. m. 125.
Aliis denique etiam in casibus favore inopiæ dari solent alimenta,
quæ aliàs non darentur. l. 27. §. 3. ff. de inoff. test. l. 14. ff. ut in possess.
legat. tot. tit. ff. de alim. legat. c. 16. X. de prabend. Ita inter pauperes
multas aliorum interdum distribuendas esse & Civilis Juris & Ca-
nonici præcepta docent c. 8. X. de immun. Eccl. l. 2. in fin. C. de Episc.
aud. Sed ut fiat satis controversiæ in medium adductæ, respondendum
videtur, specialitatem respectu patroni alimentandi in hoc consistere,
quod patrono melius & abundantius, quàm cæteris inopiâ laborantibus
sit prospiciendum; quia naturaliter obligamur ad officia charitatis illis,
à quibus beneficiū nos recepisse cognoscimus. c. 7. X. de testam. l. 25. §. 11.
ff. de hered. pet. Quando ergo abundat opibus Ecclesiæ, lautius ac
honorificè magis succurri oportet patrono, qui aliàs fuit dives; aliis
autem pauperibus tantum ne fame pereant, arg. can. non cogant. r. 3.
dist. 41. Quod si non sufficiant omnibus Ecclesiæ bona, patronus
præferatur. Cæsar Lambertin. de jur. patr. q. 3. art. 2. n. 3. Deinde
& aliam specialitatis rationem subministrat jam laudatus Autor
d. loc. quod scilicet pauperibus aliis non sit prodita actio contra
Ecclesiam; patronus autem per jura canonica habeat actionem,
Verum contrarium tenet Paulus de Citadinis, de jur. patr. part. 6.
art. 4. n. 8. asserens, nullam prostrare patrono actionem, sed officio
judicis impetranda ipsi esse alimenta, arg. l. 5. pr. ff. de agnosc. & al.
lib. probatque hoc ex naturali ratione, quæ liberis à parentibus, &
contra, debentur alimenta, tot. tit. C. de al. lib. & par. inter quos
nulla est hac de re actio. Nec igitur patrono ullam datam esse con-
stanter quis affirmabit. Quid? quod indistinctè imploratō judicis
officio pauperes consequi posse à divitibus vitæ subsidia Menochius
statuit, de arb. jud. qv. lib. 2. cent. 2. cas. 182. n. 43. Sed optimè istæ
contrariæ opiniones in concordiam redigi poterunt, si latius sumtā
voce actionis hæc officium judicis includas,

§. 4. Haut

§. 4. Haud inconvenienter h. l. de illo casu potest quaestio institui, quando iniquitate temporis ordinaria ministrorum Ecclesiae aut Scholarum deficiunt salaria, subditiq; nullis persuasionibus ad voluntariae charitatis subsidia queunt adduci, an magistratus auctoritatem suam interponere & collectis indictis aliisque remediis coacti-
vis adversus illos procedere possit? Rationes dubitandi esse possunt, tum quod Eleemosynae debeant esse voluntariae, Paulus 1. Cor. 8. v. 11. 12. & c. 9. v. 7. Ecclesiast. 35. v. 11. & c. 18. v. 15, tum quia nemo tenetur alteri benefacere ex praecipuo iustitiae, sed ex charitate & misericordia. Vid. Dom. Soto lib. 1. de Just. & Jur. q. 3. art. 4. Sed his non obstantibus Nobilissimus Dn. Franzkius lib. 2. variar. resolut. 7. affirmativam amplectitur sententiam & multis demonstrat, quod Christianus Magistratus non saltem possit, sed & in conscientia teneatur, ditiores ad sublevationem extremè afflictorum per indictas collectas compellere. Quae certè sententia & veritati & humanitati maximè est consentanea. Nam magistratus politicus in genere ad promovendam pietatis studia est obligatus. Quidni igitur, si subditi officium suum hac in parte negligant, auctoritatem suam interponere valeret, ut deficientibus aerarii publici redditibus honestis mediis de subsidio ministris Ecclesiae provideretur. Quadrant huc *texx. juris Canonici in can. sacerdos 9. l. q. 2. & can. cavendum 7. X. q. 3.* Per intermissionem enim ejusmodi Eleemosynarum statui publico noceri manifestum est, dum necessitate extremà compulsi solum vertere coguntur, ex quo multas communitates paulatim dissipatas, exercitia publica religionis sublata, aedificiorum agrorumq; devastationes insecutas esse, experientia multoties testatum fecit. Plura vide sis ap. Dn. Franzkius *d. loc. ubi & ad contraria respondet consummatissimus JCrus.*

Qu.
Ministri
Ecclesie
pauperes.

Resp.

§ 5. Occasione alimentorum patrono & Ecclesiarum ac Scholarum ministris subministrandorum alia offert sese quaestio enodanda, num scilicet Vasallus sit obligatus ad alimenta Seniori egeno procuranda? Vulgaris est sententia negans, eò quod alimentorum suppeditatio sub servitiis, ad quae vasallus est devinctus, non comprehendatur. Rosenthal. c. 8. concl. 23. n. 9. In diversam alii abeunt sententiam, inter quos Schraderus p. 9. c. 8. n. 12. & seqq. Rittershus. *partit. feud. lib. 2. c. 8. q. 40.* qui ad exemplum liberti & donatarii incolumitatis causà alendum esse sentiunt dominum à

Qu.
Vasallus
pauper.

Resp.

Vasallo

Vasallo, non quidem de suo patrimonio, sed pro quantitate feudi, usque ad dimidiam partem fructuum ac reddituum annuorum. Quibus consentire non erit iniquum. Nam si vasallus non adjuvans dominum eundo cum ipso in expeditionem, aut mittendo æquè idoneum pro se, stipendia militiæ pro feudi quantitate persolvere cogitur, 2. F. 54. 55. §. firmiter, cur non & eandem dimidiam reddituum partem ad alimoniam domini conferat? Ut nempe in aliis necessitatibus succurrere tenetur domino, 2. F. 26. §. licet: ita etiam in hoc casu inopiæ & famis, quâ nulla major videtur esse necessitas, cum qui denegat alimenta, censeatur necare juxta l. 4. ff. de agnosc. & al. lib. Add. 2. E. 6. Finckelth. feud. disp. 9. th. 19. Ericus Mauritius posit. contr. de jure dom. in feud. th. 2. Quod si verò feudum sit francum alicui concessum, illum ex obligatione naturali, quâ ad antidota quilibet propter beneficium est adstrictus, non secundum feudi quantitatem, sed quantum commodè ex illo fieri potest, ad sustentandum senioreni teneri sentit Dn. Struvius Synt. Jur. feud. c. 11. apb 5. n. 15. An verò Vasallum excuset à servitiis domino præstandis nimia egestas, videri potest ap. Rittersh. part. feud. lib. 2. c. 1. in fin. & And. de Isernia lib. feud. de prob. feud. al. per Eridericum Imp. §. firmiter, quorum uterq; affirmativè decidit quæstionem. Num paupertas adjuvet Emphyteutam ut non privetur Emphyteusi ob non solum canonem, vide sis apud Julium Clarum, §. Emphyteusis q. 8. n. 4. Thom. Maul. tr. de Emphyteu. tit. 9. n. 34. Corbul. de jure emphyt. c. 15. ampl. 5. n. 27. 28.

Qv:
Decuriones
pauperes,
Resp.

§. 6. Porro & de hoc maximè ambigitur, an decuriones Civitatis possint pauperi decurioni de bonis universitatis alimentorum locò aliquid concedere? Quæstionis hujus affirmativa juri & rationi non videtur repugnare. Nam decurionibus facultatibus lapsis alimenta decerni permittitur in l. 8. ff. de decurion. si in servitio & negotiis publicæ rei laborarunt, aut ob munificentiam in patriam exhausserunt patrimonium. Evolvatur Munoz. de Escobar. tr. de ratioc. administr. c. 24. n. 34. & seqq. Quâ ratione enim magistrum à discipulis, patronos ab Ecclesiis alendos esse in præcedentibus ostensum est, eadem secundum indigentiam depauperati decurionis decerni alimenta convenit; cum publicè intersit illud fieri, ut alii invitentur ad munus hoc subeundum, quod grave & variis obstructum oneribus ac difficultatibus: quæ de causa jam olim curiam quisq; quoad poterat, defugiebat, adeò, ut poenæ locò Christiani ab Ethnicis princi-

principibus curiæ fuerint addicti. Zoës. *ad ff. tit. de decurion. num. 2.*

§. 7. Quoniam egentium sapissimè ea est conditio, ut inepti reddantur ad obeunda in civitate munera, operæ pretium erit inquirere, an excusatio ipsis tribuatur? Triplicem autem civilium munerum esse divisionem *ex l. 18. ff. de mun. & hon.* didicimus, ubi alia *personalia* alia *patrimonialia*, alia *mixta* facit Ictus. Personalibus, quæ animi provisione & corporalis laboris intentione perpetrantur sine agentis detrimento, annumeratur *d. l. 18. Tutela & Cura.* Etiam si autem corpori indicta obsequia inopes quoque subire cogantur, *l. 4. §. 2. in fin. ff. eod.* & regulariter de personalibus nemo aliquam gaudeat vacatione, aliud tamen obtinere novimus in tutela & cura, à quibus paupertas excusare dicitur, si sit tanta, ut quem oneri injecto reddat imparem; veluti si quis tam tenuis & nullius fortunæ se esse demonstrat, ut vix sibi ipsi quærere possit vitæ necessaria. *§. 6. Inst. de Excus. tut. l. 7. l. 40. §. 1. ff. eod.* Minimè verò suspectos facit *§. ult. Inst. de susp. tut.* Si aliàs sint fideles & diligentes, *l. 8. ff. de susp. tut. l. 5. C. eod.* paupertatis namque impedimentum tollit clara vitæ sobrietas. *l. 17. §. pen. ff. de adopt.* A patrimonialibus muneribus ob rerum angustiam quilibet pauper eximitur *per d. l. 4. §. 2. ff. de mun. & hon.* ubi Ulpianus inopes onera patrimonii ipsa non habendi necessitate non sustinere ait: indicuntur enim hæc patrimonii & onera fructuum vocantur. Quapropter, ubi patrimonium fructusque nulli; ibi nec his locus relinquitur, cum non Entis nullæ sint qualitates. *l. 22. ff. quand. dies leg. ced.* Hinc Gaius *de Arr. Imp. c. 9. n. 20. post Alex. ad l. 4. ff. de re jud.* à publicis collectis immunes prædicat eos, quos dura premit quotidie necessitas & indigentia, quia inanis dicenda est exactio, quam inopia debitoris excludit. Cui ad stipulatur Klockius *de contrib. c. 13. n. 58. & seqq.* atque ab eo allegati, adeo, ut pauperes æstimo in scriptos delendos rursus esse opinetur.

§. 8. Hæc indigentium immunitas ampliatur, ut non tantum fruantur illa, quibus nullas unquam opes fortuna concessit; sed & ii, qui, cum antea divitiis abundassent, facultatibus postea sunt lapsi: nam ubi eadem ratio & similitudo formalis militat; ibi & jus triumphat idem, nullò extensionis adminiculò adjuvandum, *arg. l. 32. ff. ad L. Aquil.* Accedit, quòd in collectarum exactione eorum, quos ad inopiam redactos norunt, quoad ejus fieri potest, habere rationem sine distinctione jubeantur Magistratus *l. 2. C. de exactor. tribut.*

C 2

lib. 10.

44
Excusantur
pauperes à
muneribus
personalibus.

à patrimonialibus.

Ampl.



Limio.

lib. 10. Add. l. 3. §. 15. ff. de mun. & bon. R. I. de anno 1582. §. Und nach dem die ansehnliche. R. I. de ann. 1594. §. Und daß den Unterthanen. R. I. de ann. 1613. ibi: Die Verarmte und Erschöpfte. Limitationem autem patitur assertio de privilegio pauperum circa munera patrimonialia, ut non obtineat illud, nisi quamdiu durat rerum angustia: quare ubi patrimonium incrementum accepit, contributionis oneri vicissim adstringendos illos esse videmus in l. 4. §. 1. ff. de mun. & bon. l. 10. §. 3. ff. de vac. & excus. c. 30. de præbend. in 6. quia cessante causa non potest ipsa dispositio non quiescere. c. 60. X. de appellat. l. 6. §. 2. ff. de jur. patr.

non verò à mixtis.

§. 9. Mixta munera, in quibus corporale ministerium quis præbere cogitur, ac prætereà non nihil ex bonis, quod attinet, affirmare ausim, non eximi ab his pauperes. Quamvis enim non habeant, quod è patrimonio impendant; ejus tamen locò ad plures operas præstandas cogi posse eos, planè mihi persuasum habeo. E. G. Si plures ad pontem reficiendum & contribuere quid & manuum prætereà operas adhibere teneantur; aliquot autem eorum curta supellex, ne conferant nummos, impediatur, non erit injustum, ad multas operas adstringere paupertatis candidatos. Atque ita non invenit locum in his, quod in patrimonialibus: etenim ibi sive certa pecuniæ quantitas universitati sit indicta, sive singulis de universitate collecta indicatur, indigentia pauperes eximit; & priori casu, quò nihilominus integrè præstanda est collecta, portio pauperum gravat alios cives opulentos, l. 4. C. de censib. lib. 11. posteriori verò casu alter minimè pro altero tenetur, sed suam quisq; portionem pro modo patrimonii solvit, pauperum jure salvò. Klock. de contrib. c. 13. n. 72. Sed plura in hanc rem omitto.

Dist.

Membrum II.

Favores paupertatis circa secundum juris caput considerat.

§. 1.

Acquirendi rerum dominii diversos tradi in legibus nostris modos, id hujus loci non est exponere. In hoc autem operam meam jam esse oportet occupatam, ut quid paupertati singulare tributum sit in rebus augendis, perpendam. Equidem in successio-

nibus

nibus favorabiliorem inopum conditionem fecit Imp. Justinianus
in Auth. praterea C. unde vir & ux. Cum enim antea conjuges
 succedere sibi invicem haud potuerint, extantibus defuncti cogna-
 tis, Imp. *in d. auth.* quæ decerpta est *ex Nov. 53. 74. 117. 127.* conce-
 dit superstiti conjugi inopiâ laboranti, quando matrimoniam est sine
 dote, successione jus in quartam partem substantiæ præmorientis
 divitis, aut si concurrat cum liberis ternarium numerum exceden-
 tibus, in virilem portionem, cum hoc tamen moderamine, ut in
 casu existentiae liberorum, proprietate his relicta, usufructus sal-
 tem pertineat ad conjugem inopem; deficientibus verò liberis
 ejusdem matrimonii conjux præferatur cognatis in illa quarta, cujus
 non tantum usufructu, sed & proprietate potitur. *Nov. 117. c. 3.*
 Quod si fortè quid legaverit conjux conjugi, quod minus sit quar-
 tâ omnium bonorum, inops potest agere ad supplementum. Gotho-
 fred. *in not. ad Nov. 53. c. 6.* quia nemo potest facere, ne leges in
 testamento suo locum habeant. Hahn. *ad Wesemb. tit. unde vir & ux.*
 n. 3. Num verò hæc procedant etiam in muliere paupere, quæ spem
 fovet, sibi ex parentum successione aliquid obventurum, non sine
 controversia est? Negativam qui tventur, hoc nituntur fundamento,
 quod pro inope non possit haberi mulier, quæ diviti patri aliquando
 sit successura, quippe quæ vivò quoque patre domina quodammodo
 censeatur paternarum rerum, *per l. n. ff. de lib. & posth. l. fin. C. de*
impub. & al. subst. l. 15. ff. de inoff. test. l. 7. §. 1. ff. unde liberi. Sed affir-
 mativa verior & juri convenientior videtur. Nam conjugi jam jus
 quæsitum est, eò quod tempore illò, quò moritur conjux dives, in
 penuria rei familiaris fuit constituta: causam autem certò tempore
 requisitam satis est suò tempore subesse, etiamsi postea subesse desi-
 nat. Decius *in Auth. praterea, circa fin.* Confirmatur hæc sententia *per*
tex. in l. 63. pr. ff. ad L. Falcid. ubi disertè respondet JEtus hæredem
 institutum locupletiosem dici non posse, antequam adierit hæredi-
 tatem, imprimis servum; cum multis causis accidere possit, ne is
 adeat hæreditatem, & præposterum sit ac inconveniens, ante nos lo-
 cupletes dici, quàm acquisiverimus. Et rectè: Illud enim demùm
 nostrum esse dicitur, quod apprehendimus, & in corpus patrimonii
 redegitimus, *l. 55. ff. de acq. rer. dom.* quod autem acquisituros nos
 speramus, necdum acquisivimus, non magis nostrum dici meretur,
 quàm

Favor patris
 parentis in
 successione
 bus.

Quæst.

Rat. dub.

Rat. decid.

quàm si feram bestiam tantùm persequamur, non etiam ceperimus
l. 5. ff. eod. §. 13. Inst. de rer. div. l. 139. §. 1. ff. d. R. I. Idem in propo-
sito casu dicendum: possunt namq; patris locupletis bona perire, aut
bellò, aut aliò infortuniò ipse pater ad inopiam redigi, propter
quæ, ut succedatur, res prorsus sit desperata. Thomingius. *decis. qv.*
illustr. 40.

Qv. §. 2. Ulterius discutiendum venit, utrum *d. Auth. Præterea*
saltem in uxore inope locum habeat, an verò extendenda sit ad ma-
ritum? Hunc quoq; istò gaudere beneficiò, ut capiat quartam ex
bonis defunctæ locupletis uxoris, per generalitatem, *d. Auth. & Nov.*

Resp. *53. c. 6. in fin.* tradunt Baldus, Cynus Salycetus. Contrarium verò
tenet Rittershus. *ad Nov. part. 7. c. 17. n. 9.* Idq; ex eo rectè, quòd de
muliere tantùm loquatur *in Nov. 117. Imp.* Accedit, quòd *in fine c.*

Obj. *5. d. Nov.* expressè removeatur extensio ista, dum Imp. ait: *Virum*
in talibus casibus quartam secundum priorem legem ex substantia mu-
lieris accipere modis omnibus prohibemus. Quæ causa est, quòd poste-
riorem hanc constitutionem prioris correctoriam esse, statuat Pet.
Gudelin. *de Jur. Nov. lib. 2. c. 16.* Frustrà ergò sunt, qui dicunt, verba
d. c. 5. de ea saltem quarta, quæ uxori, cui repudium missum est, de-
betur, esse capienda: præter illam enim quartam alia, de qua hîc
tractatur, uxori inopi solvenda est; siquidem Imp. in fronte *d. c. 5.*

Resp. de duplici uxoris quarta agit, quam utramq; denegari marito, in
fine istius *c. 5. verba: talibus in casibus:* satis probant. Quid? si verba
ista: *talibus in casibus:* non pro numero plurali, sed singulari quis ex-
ponat (sic *§. 14.* si conferatur cum *§. 10. Inst. de hered. quæ ab intest.*
def. vers. invenimus enim nonnullos casus &c. unicus casus indigita-
tur) posset quis subire patrocinium mariti, quòd *d. c. 5.* illam marito
tantùm auferat quartam, de qua tractatur *in l. 11. §. 1. C. de repud.*
non verò quartam de qua *in d. Nov. 117.* Unde Bachovius *ad Treutl.*
vol. 2. disput. 16. tb. 6. lit. d. vers. Imò vice versa. in fin. nullam ratio-
nem diversitatis idoneam inter virum & uxorem hîc reddi posse
scribit. Sed verò verisimile non est, Imperatorem in singula-
ri intellecta voluisse numero verba finalia; id quòd innuunt verba
d. c. 5. circa med. in presenti melius utramq; legem disponentes, san-
cimus in utroq; casu &c. quibus postea *in fin. d. c.* generaliter subjicit
verba suprà allegata. Ratio quoq; diversitatis haud deest, cum vir
vel

vel artificiis, vel armis studendo, vel Reip. operas locando, multis-
 que modis aliis industriam suam victum & augmentum patrimonii ho-
 nestè quærere valeat, quibus uxor, ob sexus vel pudorem, vel fragi-
 litatem, excluditur penitus. Et si vel ratio nulla sufficiens assignari
 posset; Jus tamen ita constitutum esse sufficeret, *per l. 12. §. 1. ff. qui*
& à quib. manum. Nec juvat intellectum istum *d. Auth. C. unde vir*
& ux. de conjugè præmoriante in genere loquens. Nam *Auth.* illa
 desumpta est *ex d. Nov. 117.* non igitur latius potest extendi, quàm
 ipse fons patitur. Multò minùs obstare potest, quòd ex natura cor-
 relativorum vir & mulier ad paria judicari debeant, *arg. l. 3. C. d.*
ind. vid. roll. Responderetur enim, hoc in illis tantùm procedere, in
 quibus planè eadem est ratio & natura utriusq; relativorum, &
 nisi aliud quid impediatur, vel contrarium dispositum sit expressè:
 Imperator autem *in d. Nov. 117.* loquitur tantùm de muliere, disertè
 exclusò maritò, & præterea Jus novum, priorisq; correctorium
 strictè est accipiendum; nec trahi debet ad consequentias, quò le-
 gum vitetur correctio. Jure Saxonico quidem maritus, sive inops
 sive dives, deficientibus pactis dotalibus & contrariò statutò, omnia
 bona mobilia, exceptis utensilibus, lucratur, *per tex. Sandr. lib. 1.*
art. 3. in pr. deductà prius legitimam liberorum aut parentum de-
 functæ uxoris, *Colerus p. 2. det. 221 n. 2.* in immobilibus verò nihil
 juris habet, sed uxor ea ad liberos vel alios hæredes transmittit: us-
 que adeò, ut quantumvis nihil in mobilibus relinquat; tamen nihil
 quicquam inde percipiat maritus. Quod tamen limitatur in casu in-
 opie mariti: nam si pauper sit ille, certam partem immobilium uxo-
 ris divitis nanciscitur, & si mobilia ad quantitatem portionis in
 pactis dotalibus ipsi assignatam non ascendunt, supplementum ex
 immobilibus petere valet. *Schulz. Synops. Inst. de success. conjug. Add.*
Hahn. ad Wesemb. tit. unde Vir & Ux.

Obj.

Resp.

Obj.

Resp.

*Successio
 mariti pau-
 peris de ju-
 re Sax.*

§. 3. Sive ab intestato, sive ex testamento succedatur parenti-
 bus alter liberorum habens fortasse ab illis dotem aut donationem
 propter nuptias, aut aliud quid singulare, alterò nullò munere af-
 fectò, regulariter bona sua profectitia in medium conferre tenetur,
Auth. Ex testamento C. de collat. Nov. 18. c. 6. ita, ut is, qui non con-
 fert, cogatur tanto minus accipere ex hæreditate, quantum facit,
 quod jam accepit. *Rittershus. ad Nov. part. 7. c. 21. n. 9.* Quod si
 verò



Pauperes
non confe-
runt.

Filia pro-
pter pauper-
tate nubens
alii, quam
injunctum
erat, excu-
satur.

Alimenta
pauperi le-
gata.

Q.

R.

Legatum in
genere re-
lictum pa-
uperibus.

verò per inopiam quis, cum vellet, conferre non potuerit, excusa-
tur, neq; ob id actiones hereditariae ipsi denegari queunt, per l. 1. §.
13. ff. de collat. bon. cum haberi debeat ratio ejus, qui non per contu-
maciam collationem non supplet: quasi dicat Jctus, juris moralis
esse, ut adjuvetur ille, quem paupertas premit, ut ob hanc juri
praescripto satisfacere non possit. Similiter & filia meretur excusatio-
nem, cui per testatorem injunctum fuit certo personarum generi
nubere, si alii fortasse nupsit, accedente paupertatis causa: hoc
enim casu minimè bonis erit privanda, uti latius hac de re tractat
Menochius consil. 426. n. 9. Ac licet aliàs voluntas testatoris instar
Reginae se habeat; fit tamen non rarò, ut leges ipsae ob fonticas
causas seponant judicium defuncti ultimum. Vid l. 8 9. 10. ff. de con-
firm. tut.

§ 4. Non tantùm, qui universali jure succedunt, pauperes
suis utuntur beneficiis, sed & ii, quibus res singulae sunt relictæ. Si
quid enim illis legatum donatumvè est, valet etiam tùm, quando,
si aliis relictum esset, nullum haberet valorem, arg. l. 19. C. de S. S.
Eocl. ubi donationes, quæ pauperibus sunt factæ, robur vimq; habent,
etiam si actis nõ sint intimatæ. Ita contra eos quoq; minori tempore,
quam quadraginta annis non praescribitur, sicut aliàs contra pias
causas non nisi praescriptio quadragenaria currit. Nov. 131. c. 6. Dio-
nyf. Gothofred. in prax. siv. lib. 1. t. 5. pag. 356. Seb. Medices in tr.
Mors omnia solvit p. 1. n. 103. p. m. 39. Sed quid servandum fit in legato
ad alimoniã pauperum relicto, si hæres aut legatarius aut fidei com-
missarius (hi enim omnes legatis hujusmodi gravari possunt eatenus,
quatenus sunt honorati) omittat implere ea, quæ injuncta sunt à
testatore, quaestionis est? Respondetur, quocunq; modò testator
tale quid reliquerit, voluntatem ejus implendam esse. Admonendi
igitur hæredes erunt semel atq; iterum per publicas personas, adhi-
bitis Notariò & testibus, ac si ne tunc quidem bonam fidem agno-
scentes impleant defuncti voluntatem, privandi erunt omni lucrò,
quod aliàs consequi potuissent. Nov. 131. c. 11. Pauperum nimirum
causa pro pia habetur, Tiraq. in tr. pia cause in pr. p. 3. vers. item re-
licta pauperibus, & bona pauperum æquiparantur bonis Ecclesiarum.
Panormitan. in c. nihil. 2. Felin. in c. de quarta 4. X. de praescript. Unde
in genere quid relinquitur, & illius loci nulli extant,
vicinis

vicinis id erogandum esse dicit Menochius *de arbitr. jud. quest. l. 2. cent. 3. cas. 222. n. 4.* Pariter & Xenodochio relictum incerto, si plura sint in civitate, pauperiori solvendum, *l. 49 §. 5. C. de Ep. & Cl.* si nullum, pauperibus integrum distribuendum est, nullâ deductâ quartâ. Gothofred. *ad b. l.* Ac si fortè hæres excipiat, non solenniter esse relictum, quod pauperibus exsolvendum, tunc poterit administrator bonorum, quæ pauperum sunt, hæredis conscientiam rem committere, ut aut juret, aut solvat, si prius administrator ille de calumnia juraverit, *§. fin. Inst. de fidei. har.* idq; ob favorem ultimæ voluntatis.

§. 5. Antequam ulterius progrediar, elegans quæstio venit ventilanda, an scilicet legatum alicui ob paupertatem relictum cesset, si cessaverit paupertas, quando fortè legatario collatum est beneficium aliquod, unde se dignè exhibere queat. Primâ fronte videbatur id asserendum ex vulgata ratione: *Cessante causâ cessat effectus c. 60. X. de appell.* Verùm ejusmodi legatum nec justè, nec rationabiliter revocari posse verius est, tum quia militat hîc favor piæ causæ, quæ durat, licet pauper aliunde ditescat, Tiraq. *in tr. piæ causæ, in pr. p. 3. vers. item relicta pauperibus*; tum quia aliàs legatum factum cum qualitate requisita sub conditione, si conditio evenerit ac postea qualitas cesset, non revocatur, cum sufficiat, conditionem semel extitisse. *l. fin. C. de ind. vid. toll. Add. l. 7. C. de inst. & subst.* tum quia paupertas in casu nostro in vim modi considerata videtur, qui modus si deficiat casu, quò impeditur legatarius illum implere, debetur nihilominus legatum. Cujus rei exemplum habemus *in l. 20. ff. de ann. leg.* ubi relicta sunt legata sub conditione, ut moraretur, seu unâ habitet legatarius studiosus e.g. novitius cum veterano studioso; quæ conditio licet per mortem contubernalis seu veterani studiosi sit extincta, legatum nihilo secius debetur: atq; hîc iterum pro legatario facit favor ultimæ dispositionis, quæ flectit se ad legatarium, cui maximè prospicere voluit testator. *Facit. l. 1. C. de Legat.* ubi idem ferè continetur casus: respondet enim Imp. Antoninus his verbis: *banc fuisse defuncti cogitationem interpretor, ut & post mortem Justi Claudii eadem vobis prestari voluerit*, i. e. si omnia interpretatione justâ in unum cogantur, hoc fuit enixa legantis voluntas, ut superstes collegatarius habeat legatum, quamvis conditio adjuncta

D

deficiat.

Q.

Resp.

Obj. deficiat. Non obstat d. regula: *Cessante causâ cessat affectus*. Respon-
Resp. detur enim (1) illam intelligendam esse de effectu nondum consum-
 1. mato, non autem de consummato, qui jam sortitus est executionem,
 veluti in proposita quaestione paupertas, quam semel tempore præ-
 standi legati adfuisse sufficit. Tiraq. *in tr. cessante causa, limit. 4. § 12.*
 2. Roland. à Valle *conf. 14. col. 5. vol. 3.* (2.) causa paupertatis hic loci
 non finalis est, sed impulsiva censenda, id quod semper dicendum,
 quando ad commodum percipientis tendit. Tiraq. *d. tr. limit. 1. n. 52.*
 præprimis in causa pia, Idem *d. l. n. 58.* cessante autem causâ impul-
 sivâ nec restringitur, nec revocatur legatum. Decius *conf. 46. n. 2. § 3.*
 3. *conf. 238. n. 6.* (3.) non valet regula, quando effectus & cessatio causæ
 ad eundem finem tendunt. Tiraq. *d. tr. lim. 14.* Hic autem divitiæ,
 quas acquisivit pauper, tendunt ad eundem finem, scilicet ut com-
 modè vivere possit & alimenta sibi parare, ad quem tendit causæ
 cessatio. Plura videre licet apud Fabium de Anna Jctum Neapoli-
 tanum *conf. 21. qui in terminis habuisse se dicit hanc controversiam in*
persona Scipionis Buzzuti, Episcopi Lucerini, cui ob paupertatem à
Comite Oppido legatum quid erat, & ab executoribus testamenti præsti-
tum, postea verò collatò ipsi Episcopatu revocatum.

§. 6. In contractibus quid singulare concedatur paupertate gra-
 vatis ut videam, ordinis nunc ratio exigit. Statutum jure est, debita
 integra esse solvenda, nec cogi possit creditores, ut inviti partem ac-
 cipiant, *l. 9. C. de solut. l. 19. C. de usur. l. ult. C. debit. vend. pign. imp.*
non poss. cum particularis solutio multa secum trahat detrimenta: nisi
 vel conventum sit aliter inter partes, *arg. l. 9. ff. de solut.* vel debitum totum
 non sit liquidum, *l. 21. ff. de reb. cred.* quam interpretationem quidem non
 admittit Alciatus *ad d. l. 21. n. 2. fol. 99. b.* inter alia ob hanc ratio-
 nem, quod incommodum in eo non versetur, quod solutum est, sed
 quia reliquum solvi detrectatur, cum hoc prorsus à textu sit alienum,
 qui argumentum ab humanitate suggerit, quod sit palam, conquestum
 fuisse creditorem de particulari solutione. A jure isto stricto rece-
 ditur in causis pauperum, quibus distinctis terminis solvendi ex
 æquitate conceditur libertas. *c. 3. X. de solut.* Quod tamen *juxta hoc*
c. 3. ita intelligendum, ut, dum jamjam inops est debitor, solidi so-
 lutione excusetur, satisfacere autem debeat, se reliquum ex soluturum,
 si ad pingviorem pervenerit fortunam. Vid. Dn. Carpz. *presid. debit.*
tb. 64.

*Particula-
 ris solutio in
 contractu cū
 paupere re-
 cepta*

eb. 64. n. 130. & seqq. Mævius *discuss. levam. inop. debit. c. 4. sect. 9. n. 7.*
 Rationem istius libertatis videre quis potest in l. 25. ff. de pignor. act.
 ubi de subtili & gravi casu sic judicat Jctus: *Mediè igitur hæc à iudice*
erunt dispicienda, ut neq; delicatus debitor, neq; onerosus creditor aut
diatur: quod ἰμπεριον redolet Jus morale. Id est, iudex omnem
 adhibeat moderationem, ut ne debitor, dum conditionem pigno-
 ris meliorem fecit creditor, de alieno locupletetur, aut creditor im-
 pensis in pignus factis nimium debitorem oneret, & quæ exinde
 bona est consequentia, ita tractetur pauper debitor, ne deglubatur.
 Hoc ipsum pauperum debitorum beneficium per sanctionem legis
 universalis in Imperio Romano-Germanico approbatum est. R. l. de
 ann. 1654. I. *So viel nun die capitalia. verb. die capital summam par-*
ticulariter auff gewisse/ nach dem die Summa groß oder klein ist/ pro-
portionirte billichmäßige zween/drey/vier/fünff/sechs/ oder zum hö-
hesten sieben Terminen &c. Deinde quamvis in l. 2. ff. de reb. cred.
 aliud pro alio invito creditori solvi non posse Jctus propugnet, quia
 non sufficit, si solvatur, sed ut obligatio tollatur, necesse est id sol-
 vatur, quod debetur; non verò debetur aliud. l. 1. ff. eod; inopiã ta-
 men laborans debitor paratã pecuniã deficiente, alias res in solu-
 tum offerre potest creditoribus. Nov. 4. c. 3. Antiquitus si debitor
 solvendo non erat, vel carceribus mancipabatur, vel creditori ad
 operas præstandas addicebatur, imò permissu L. 12. tabb. in partes
 corpus debitoris secare, & inter creditores partiri licuisse memorant.
 Cujacius ad Nov. 135. Rem istam Sex. Cæcili, quàm meis verbis
 malo referre ex Fr. Balduino ad LL. 12. tab. L. 46. n. 72. *Vinctis de-*
bitoribus jus erat paciscendi. Ac nisi pacti forent, habebantur in vincu-
lis dies LX. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad prætorem ad Co-
mitium producebantur, quantaq; pecunia judicati essent, prædicaba-
tur. Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant aut trans Tyberim
peregre venum ibant. Sed eam capitis pœnam sancienda fidei gratiã
horrificam atrocitatis ostentu novisq; terroribus metuendam reddi-
derunt. Nam si plures forent, quibus reus esset judicatus, secare si
vellent, atq; partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Et qui-
dem verba ipsa Legis dicam, ne existimes invidiam me istam formi-
dare; TERTIIS (inquit) NUNDINIS PARTE IS SE-
CANTO. SI PLUS MINUSVE SECUERUNT SINE

*Aliud pro
 alio solvitur
 à paupere.*

*Jus antiquũ
 circa debi-
 tores qui nõ
 erant sol-
 vendo.*

*Dissectio de-
 bitorum.*

D 2

FRAU.



*FRAUDE ESTO. Nihil profecto immitius, nihil immanius, ut re-
ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pena denuntiata est, ne ad
eam unquam perveniretur. Addici namque nunc & vinciri multos vi-
demus, quia vinculorum penam deterrimi homines contemnunt. Dis-
sectum esse antiquitus neminem neque legi, neque audiri; quoniam severitas
ista penam contemni non quita est. Hæc Cæcilius. Sed & Quintilianus
lib. 3. Sunt, inquit, quedam non laudabilia natura sed jure concessa,
ut XII. tabb. debitoris corpus inter creditores dividebatur, quam legem
mos publicus repudiavit. Aliam rei judicatae executionem postero-
res Romanorum leges esse voluerunt & humaniorem & benignio-
rem: Nam sequentibus temporibus anno ab U. C. 428. L. Patilia
omnia ista emendata sunt; ac constitutum, ut solutio solum fieret ex
bonis debitoris, nec corpus quicquam pateretur. Manz. de patroc. debit.
dec. 1. q. 5. n. 111. Hanc legem postea Imp. fuerunt amplexi, & imprimis
a Julio Cæsare beneficium cessionis bonorum illis, qui fortunam ad-
versam ad incertam redacti erant, permissum est. Vid. l. 1. C. qui bon. ced.
& Perez. ad eundem. Schneidew. ad §. fin. Inst. de act. Quæ cessio licet
ipsò jure nullam irroget infamiam, l. 11. C. ex quib. caus. infam. quia
tamen proscriptio & distractio bonorum fiebat sub hasta, quasi de-
coctoris, non carebat fustigatione, §. 1. Inst. qui & ex quib. caus. man.
non lic: ignominiosum namque veteres ducebant alicujus bona sub
voce præconis venire, quasi cujus bona ex edicto possidentur, ejus
fama & existimatio simul possideretur. Eleganter Tertullianus in
Apologetico: Sed & judicatos in partes secari à creditoribus Leges
erant, consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris
notam capitis pena conversa, bonorum adhibita proscriptio: suffun-
dere maluit hominis sanguinem, quam effundere. Ideo Imp. Justi-
nianus, qui anteriores principes humanitate superare contendebat,
§. 12. Inst. de fideicom. her. omniaque in meliorem statum reducere
desiderabat, §. 3. Inst. de libertin. in solatium eorum, qui non sua
culpam, sed fortunæ novercantis vitio calamitosi existunt, beneficium
Nov. 135. invenit, quò sine miserabili cessionis auxilio à carceris
molestiis & corporis cruciatibus liberarentur. Rittershus. ad Nov.
part. 9. c. 30. n. 2. Ne autem pauperibus ita favere videatur, ut cre-
ditores nimium graventur; cum non sic providendum sit uni, ut
alteri fiat injuria, l. 40. ff. de adm. & peric. tut. l. 28. ff. de testam. milit.
Impera-*

*ffo bono-
rum.*

Imperator temperavit istam constitutionem, ut infelicibus debitoribus auxiliaretur, & acerbis creditoribus non appareret durus, Nov. 32. & 34. Nov. 4. c. 3. in quarum posteriori constituit, solutionem fieri debere per additionem bonorum debitoris, qui paratam pecuniâ destituitur. *Auth. hoc nisi. C. de solut. Concordat. R. I. de ann. 1654. d. 5.* So viel nun. *verb.* oder auff den Fall er vierdtens bey diesen Geld klemmenden Zeiten keine bahre Mittel hätte noch erlangen könnte/durch Dargebung anderer beweg- und unbeweglichen Güter anstatt bahrer Zahlung abzulegen / der *Creditor* aber solche anzunehmen schuldig seyn. Illud verò hîc tenendum, non simpliciter se habere *d. c. 3. Nov. 4.* oportet enim debitorem nullam mobilem substantiâ possidere, *vers. illi verò non sit facile;* nec ipse pro lubitu viliora imobilia assignare potest creditori, optimis sibi retentis, *verb. rerum verò datio sit hujusmodi.* neq; debitoris arbitrio permittitur, ut taxet fortè immensum illa bona, sed necesse est, ut iudex competens subtilem eorundem faciat æstimationem, *vers. præparent subtili æstimatione factâ rerum debitoris.* Et tùm datio ista in solutum rectè fit, si imobiliium nullus sit emptor. *vers. si enim non sit idoneus.* At verò & hæc verba, *agnoscant creditores, quia etsi hanc non scripsissemus legem, necessitatis ratio ad hoc caussam perduceret,* non sunt sine pondere: debitor enim, etsi hâc lege non adjutus esset, ad solvendam pecuniam non adigi potest, quia non habet. *d. auth. hoc nisi. C. de solut.* Ac licet verum sit, quod *l. 16. eod.* scribitur, quod eum, à quo mutuam sumpsisti pecuniam, in solutum nolentem suscipere nomen debitoris tui compelli juris ratio non permittat; debitor tamen *d. l. 16.* procul dubio paratam habuit pecuniam, quam debitor. *d. Novell. 4. c. 3.* non habet, atqve ita creditores frustra omnem movent lapidem exquirendo pecuniam, quæ nullibi apud debitorem apparet.

Addictio bonorum.

Limit.

§. 7. De usuris licitis & illicitis multi multa disputârunt, qui tamen omnes consideratis circumstantiis in hoc conveniunt, quod Imperatores propter commercia, quibus carere non potest genus humanum, itemq; ut eò faciliùs indigentes inveniant, qui mutuam dent pecuniam, permiserint usuras, præcipuè si debitores sint mercatores aut aliàs locupletari nummis mutuò sumtis possint; restringendo tamen istas ad certum modum, uti in Imperio Romano-Germanico



Usura illicita s. lucrativa.

Usura compensatoria.

Usura punitiva.

Obj.

Resp.

Usuras non solvunt pauperes.

manico hodiè pro singulis centenis quinque quotannis accipere licet. Illicitarum autem usurarum alia dicuntur tales ratione creditoris, qui plus justò interesse exigit nomine sortis principalis non solutæ; alia respectu debitoris, quando ab illo usuræ exiguntur, qui non ex delicto suo & prodigalitate, sed fortunæ injuriâ bonis exutus est. Marquardus *de Mercatum. lib. 4. c. 4. n. 7. & seqq.*: Quod genus usurarum proximum mordere dicitur atq; jure divinò prohibetur. *Exod. 22. v. 25. Levit. 25. v. 35.* Petuntur scilicet usuræ vel pro eo, quod abest ratione damni accepti, sive lucri erepti, & eatenus congruit cum eo, quod interest, *l. 13. ff. rem rat. hab.* vel propter moram non solventium aut non agentium id, quod convenit. *l. 17. §. 3. ff. de usur. Priori casu* licet injustum non videatur, ut qui mutuam pecuniam accepit, beneficium modici alicujus lucri alteri pro beneficio retribuatur: nam & in contractu emtionis venditionis post traditionem rei venditæ, loco fructuum, qui inde percipiuntur, propter non-solutum pretium deberi pretii usuras venditori constat, quia hujus interest pretium potius esse solutum, *arg. l. 13. §. 19. ff. de act. emt. l. 4. l. 5. l. 13. C. eod.* Nec jure divinò de usuris hisce non exigendis extat interdictum prohibitorium: imò DEUS permittit Judæis, ut extraneis fœnerarent: *Deut. 23. v. 20.* ut ita adiaphoræ sint usuræ, nempe per se nec bonæ nec malæ. Neq; obicem ponunt, quæ objiciuntur à diversum sentientibus, quòd natura mutui sit gratuita, nummus res sterilis, ac impingatur in Christianam charitatem & naturalem æqvitatem, lucrum hoc sordidum exigere. V. D. Felden. *in annot. ad Grot. d. I. B. & P. l. 2. c. 12. §. 20. pag. 32.* Respondetur enim ad primum cum Magnifico Dn. Zieglero *ad Grotium d. l. pag. 352.* quod mutuum usura non faciat non gratuitum, utpote cum illa ex stipulatione veniat: nec nummus sterilis est respectu fructuum civilium, cum & domus in se spectata sterilis sit, & tamen reditus ferat: nec charitas illa & æqvitas volunt, ut quis alteri beneficiat, sibi verò damnum accersat. vid. B. Meisn. *P. 3. Philos. Sobr. sect. 1. c. 6.* Grotius *d. loc. Dn. Franzk. exerc. 9. ad Inst. qu. 4.* Hein. Zoëf. *Comm. ad J. Can. tit. de usur. v. 10.* Fr. Card. Mant. *lib. 4. Vat. Lucubr. cap. 24.* Aliter tamen cum paupere faciendum, qui non quæstum aucupatur & lucrum facit pecuniâ mutuâ, sed ad hoc accipit eam, ut vivere possit; recurrendum nimirum ad regulam Christianæ caritatis est, ut talem

50

talem commiseratione dignum judicemus, imò in quantum patitur res familiaris creditoris, quò egeni sublevetur inopia, non usuras saltem, sed de forte etiam remittere quid flagitat jus naturæ, quæ eunq; nobis fieri volumus, eadem nobis nil minus facienda esse dicimus. Colerus *de process. execut. p. 1. c. 16. n. 60.* Quò spectant Scripturæ loca *Deut. 15. vers. 7. cap. 24. vers. 10. & Luc. 6. vers. 34.* *Posteriori casu*, quamvis mora sua cuilibet sit nociva, *c. 25. d. R. 1. in 6.* excusat tamen difficultas & impossibilitas, cujus nulla est obligatio, *l. 185. ff. d. R. I. c. 6. de R. I. in 6.* & disertè egestate pressos à mora excusari perhibet Seb. Medices *de cas. fort. p. 2. q. 4. num. 32. pag. 273.* ubi aliquot Dd. allegat. Quid enim imputabitur illi, qui, licet vellet, solvere non potest? *l. 17. §. 3. ff. de usur.* Quod ex ipso jure morali depromptum: mora enim est frustratoria dilatio, præstandi id, quod præstandum venit. *l. 3. §. fin. ff. eod.* Jam quomodo moram fecisse pauper dici potest, qui non habet, quod præstandum? Gylman. *lib. 1. c. 3. de nat. locati, n. 2.* ubi post alios infert, rusticum pauperem, qui per impotentiam non solvit pensionem debitam, ad interesse lucri cessantis non adstringi. Joh. Kitzel. *de jur. monet. q. 4. sect. 1. n. 72.* De usuris illis, de quibus hîc sermo est, procul dubio intelligendæ sunt Imperii Constitutiones in R. I. *de ann. 1500. rubr. von wucherlichen Contracten. de ann. 1530. 1532. 1548. Ord. Polit. de ann. 1577. c. 27.* Per R. I. deniq; *de ann. 1654.* debitores bellicâ calamitate se facultatibus excidisse demonstrantes, maximè sublevantur, remissio omnium usurarum, quæ durante *§. Die verfloßene 173. verb. aller Ausstand der Zinsen und Interesse biß auff dato dieses Reichs Abschiedes / biß auff den vierdten Theil gänzlich cassiret und auffgehoben.*

§. 8. Ultimò locò debitoribus sine vitio suo obæratîs prospici solet per dilationes, ut vocantur, moratorias seu quinquennales, (conceduntur enim plerumq; ad annos quinque. Gothofredus *ad Schneidew. §. 2. n. 11. Inst. de J. N. G. & C.*) de quibus largissimum tractatum in lucem edidit Gvil. Antonius de Freundenberg. Habent hæc fundamenta in *l. 2. C. de precib. Imp. offerend.* & audiunt ibi moratoria præscriptio, quam latè commendat æquitas, quia debitor infortunii calamitate suis lapsus est bonis. Harum induciarum ille est effectus, ut habeant calamitosi spatium ad pecunias comparandas,

*Rescripta
moratoria.*

12
das, ne intra tempus à superiore indultum, molestissimis credito-
rum executionibus tam miserè excrucientur, sed intereà respirare
potius possint; unde Gallis dicuntur *Lettres de respits*. Tantis autem
tamq; amplis justitiæ æqvitatissq; hæc concessio est innixa radicibus,
ut insciis etiam & invitis, quin imò reluctantibus creditoribus, à
principe indulgeri posse statuatur. *Limn. de jur. pub. tom. 2. lib. 4. c.*
8. n. 341. Quæ sententia eò minus dubii habere videtur, præsertim
cùm notissimum sit, principem ex justa causa vel necessitatis, vel
utilitatis publicæ, posse tollere jus partis. *l. 15. §. 1. ff. de rei vind.*
l. 11. pr. ff. de Eviçt. l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. pub. Quam rem signi-
ficare cupiens Æneas Sylvius *lib. 2. de orat. & aut. S. Rom. Imp.* inter
alia lepidè ita effatur: *Quid obstas, penna, quid molesta es, cur non*
reddis atramentum? exprime Cesaris privilegium, nullum timeas,
dum vera scribis: Nempe, liberum est Imperatori non solum homini
nequam, sed etiã viro bono ac de Republica benemerito propriũ agrum,
proprias domos, propriasq; possessiones auferre, si REIPUBLICÆ NE-
CESSITAS id expostulat. In specie paupertatem causam esse justam
auferendi Jus alienum, ad succurrendum egenti, probat Petrus An-
tonius de Petra, *in tr. de Jure quæsit. per princip. non toll. cap. 32. in*
secund. dub. pr. & qu. 7. pr. in exemplif. n. 6. pag. 598. Add. Matth.
de Afflictis *decis. 377.* Nemo enim inficias ibit, versari hîc etiam
Reipublicæ bonum, cujus interest, ne prorsus subditi depauperen-
tur. *Nov. 8. pr. §. 1. vers. Consideravimus.* Si igitur facultas tollendî
jus alteri quæsitum, competit ei, qui Majestatem in Republica ob-
tinet, quantò magis illud suspendere ad tempus erit licitum: cùm
cui licet, quod plus est, ei liceat etiam, quod est minus. *c. 35. c. 53.*
de R. I. n. 6. Prætereà majorem partem creditorum, reliquis nume-
rò paucioribus nolentibus & obstrigillantibus, solvendi dilationem
debitori posse concedere in confesso est apud omnes, *per l. 7. §. fin.*
l. 8. ff. de pact. l. fin. C. qui bon. ced. poss. Freundenberg. de rescript.
morat. tit. 6. concl. 10. num. 3. & seqq. Berlich. part. 2. Decis. 235.
Carpzov. p. 2. Constit. 22. def. 27. & 29. Quidni igitur multò magis
principi integrum esse debeat, hoc juris calamitosis, indulgere, ne de-
terioris ipse, quàm privati homines, conditionis esse censeatur. Nec
de iniquitate conqveri habent necesse creditores, cùm ipsis jus cre-
diti illibatum maneat, præscriptio impediatur, quippe quæ sub-
ductò

ducto quasi medio tempore dormit, *l. fin. in fin. C. qui bon. ced. poss.*
 Freundeberg. *t. 9. concl. 58. n. 1.* nec usurae per hoc quinque annorum
 interstitium desinant currere. *Decis. Elect. Sax. 30. ibi:* So denen
 Gläubigern die Zinsen binnen solchen fünf Jahren nicht abstricken &c.
 Obiter hic notandum, moratoriorum rescriptorum non privatos
 pauperes solum esse capaces, sed & universitatem, civitatem aut
 communitatem, quae in eam delapsa est egestatem, ut subveniri ei
 postulet necessitas. Probatum illud (1.) quia leges de induciis his
 loquentes, ut *l. 2. & 4. C. de precib. Imp. offer. l. fin. C. qui bon. ced.*
poss. generales sunt & indefinitae, ideoque generaliter accipiendae, arg.
l. 1. §. 1. ff. de legat. praest. cum indefinita locutio aequipolleat universali.
l. 1. §. 4. ff. de Off. Praef. Urb. l. 44. ff. de legat. 2. Et constat dilucide,
 quod generalis dispositio non tantum personas singulares, sed uni-
 versitates etiam complectatur, ex *l. 7. §. fin. l. 9. ff. de Jurisd. l. 22. §.*
fin. ff. ex quib. ca. maj. l. 22. ff. de fidej. l. 15. ff. ad SCt. Maced. Non
 officit, quod *in d. l. 2. C. de prec. Imp. offer.* ad preces alicujus suppli-
 cantis rescripserint Imperatores: militat enim in Universitate, quae
 ad incitas redacta est, eadem ratio, quae in aliquo Titio paupere. (2.)
 quia Universitates atque Civitates per se sunt favorabiles & aequipa-
 rantur minoribus, Dn. Carpz. *in process. tit. 13. art. 1. num. 185. l. 3 C.*
de Jur. Reip. lib. 11. ac aliis beneficiis juris communis & jure priva-
 torum utuntur. *l. 16. ff. de V. S.* In pari autem causa paria jura desi-
 derantur. Prolixè de hac quaestione agit allegatus Freundeberg. *tit.*
7. concl. 18. ibique n. 58. inter alia ita extendit hanc assertionem, ut
 non tantum pro civitate & collegio licito, *sed etiam certa cujusdam*
& nominata familia nomine, für ein gewis nahmbafftiges Geschlecht,
qua ad arctum eris alieni redacta & retrusa, omnes fortuna sua lunulas
amisit, (utor verbis Autoris) *imperrari possint inducia.* Ad quem
 brevitatis gratiam remitto plura scire desiderantem.

§. 9. Plurima hic enumerari possent alia pro pauperibus fa-
 cientia, quod nimirum ob non factam solutionem in certum diem
 sub juramento promissam non fiant perjuri, si praepediantur inopia
 aut alia impossibilitate. Gail. *lib. 1. obs. 142. n. 4. c. 17. X. de jurejur.*
 Julius Clarus *lib. 5. sentent. §. perjurium. n. 10.* Exempla habet Grego-
 rius Sayrius *in clave regia lib. 5. c. 7. n. 8.* Ratio est, quia perjurium
 non committitur sine dolo, quem necessitas & impossibilitas exclu-
 dunt. Joh. Bapt. Bajardus *ad Jul. Clar. d. loc. n. 10.* Conf. Ant. Hering.

E

de

de fidej. c. 19. n. 112. Addi porrò posset, quòd omnibus inopinató ca-
su depauperatis hodiè succurratur beneficiò competentix, Dn.
Carpz. in process. tit. 25. art. 6. n. 36. Manzius in patrocín. debit. decad.
3. q. 2. n. 36. propter §. fin. Inst. de act. Item quòd ob debitum civile
tales incarcerationi nequeant, Manz. dec. r. q. 9. n. 189. Colerus decis. 29.
n. 21. c. 2. X. de pign. sed jurató promittere saltem debeant, se solu-
turos, cum venerint ad pingviorem fortunam, arg. c. 3. X. de solut.
d. §. fin. Inst. de act. Mantz. d. loc. q. 5. n. 90. Porrò quòd fidejussor
etiam absq; mandato bona debitoris sui pauperis vendere, & inde
creditoribus ejus satisfacere possit, tradit Rolandus à Valle conf. 87.
n. 47. allegatus ab Eberh. Speckhan. cent. 1. q. 37. n. 16. & c. Verùm tem-
poris angustia excludor, ne omnia sigillatim persequi queam. Ad
cetera igitur properandum.

Membrum III.

Privilegia pauperum circa tertium juris caput expendit.

§. I.

*Privilegium
fori.* Si ulla in re, certè in actionibus ac processu ob fortunæ inju-
riam commiseratione dignis pauperibus permulta sunt singularia in-
dulta à Majestate. Quorum non postremum est illud Constantini in
l. un. C. quand. Imp. int. pup. & vid. ubi contra Regulam, quæ quemq;
vult coram competente giudice conveniri, permittit Imp. ut, si agant,
neglectâ primâ instantiâ adversarios suos è provincia, in qua sunt,
ad Auditorium sive Curiam Imperatoris evocare possint, ita, ut reis
de fori incompetencia excipere, aut beneficiò primæ instantiæ se tue-
ri minimè liceat, Dn. Carpz. in process. tit. 3. art. 6. n. 1. & 2. ob ratio-
nem in textu, quòd adversarii potestatem perhorrescant: fit enim
non rarò, ut potentes reformidans judex inferior declinet à justitia
pauperum; quod tamen coram oculis justissimi judicis DEI abomi-
nabile est. Sin convenientur tales, eadem lege constituitur, quòd
ne ex rescripto quidem principis cogantur extra provinciæ terminos
comparere, ne sumptibus & itinerum periculis vexentur. Atq; istud
beneficium ad eos etiam, qui suâ culpâ in paupertatem inciderunt,
extendendum esse, non nulli autumant, inter quos Perez. ad d. l. un. C.
in hanc sententiam allegans Covarruviam lib. 2. c. 16. n. 9. Verùm
hunc

hunc aliter sentire, patet ex his ipsius verbis: *quorum opinio communis est, apud me tamen dubia, & ideo distinctius intelligenda aliquot praenotatis ad hujus quaestiois expeditiorem intellectum.* Mentem Covarruviae in compendium contrahere quis ita potest: nempe privilegia in jure concessa illis, qui inopiâ & paupertate laborant, non competere his, qui datâ operâ & culpâ ad casum ordinatâ & praemeditatâ, ut privilegiis uterentur, in paupertatem inciderunt, *per tex. in signem in l. pen. ff. de jure dot.* neq; pro redimendis à carceribus ejusmodi hominibus, aut ad solvendam poenam pro iis, qui ob crimina publica carceribus detinentur, res Ecclesiarum esse alienandas. Illud tamen concedit Covarruvias, quod quoties quis ita constitutus sit in paupertate, ut fame sit periturus, nisi ei subventû fuerit, eleemosynam ei exhibendâ esse bonaq; Ecclesiae ad ejus alimenta vendi licitè posse, etiâ tunc, quando luxuriâ pravisq; morib9 in eam devenerit Paupertatem, *propter cap. asc. 21. dist. 86.* Quae Covarruviae opinio quâ ratione ad privilegium *all. l. un.* quæat extendi, ego non video. Et quomodo, quæso, tales famelici vel agere vel conveniri possent in judiciis; cum prors9 nihil in bonis habeant: actionem autè inopia excludit. Semotâ igitur autoritate Covarruviae puto ego, quod *d. l. un. C.* pauperes suâ culpâ tales non adjuvet, cum ipsi inter personas fortunæ injuriâ miserabiles non sint recensendi. Cæterum pauperibus quidem privilegiata instantia *in d. l. un.* data est contra suos adversarios; id tamen ita est intelligendam, nisi scilicet & hi ejusmodi personæ miserabiles sint: nam privilegiatus contra æquè privilegiatum privilegiò suò uti non potest, *l. 7. in pr. ff. & l. ult. §. 1. C. qui potior. in pign.* Bart. & Dd. *in Auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.* cum sese mutuò concursu impediunt, ac ita privilegia confundantur, *l. 12. in fin. ff. de minor. & Gothofr. ibid. l. 8. pr. ff. de excus. tut.* Umm. *disp. 4. ad process. thes. 11. n. 61. pag. 139.* Hillig. *ad Donell. lib. 17. cap. 20. lit. C.* Joh. à Sande *in decis. Fris. tit. 1. def. 2. ad d. l. un. p. 2.* In Imperio nostro Romano-Germanico *d. l. un. C.* non observari, nec miserabilibus personis in Camera Spirensi, citra casum denegatæ aut protractæ justitiæ, omisio mediò Judice Processus decerni, sed ipsos Status in causis miserabilium personarum, e.g. pauperum, judicare, testes sunt Gall. *l. 1. obs. 1. n. 40.* & Christinæus *vol. 2. ad Cod. decis. 161 n. 2. pag. 232.* Sed rationem nullam addunt: fortè quod quidam Electo-

An compete-
nt voluntaria
paupertate laborantibus?

An contra æquè privilegiatos?

An observetur in Camera?



Cause pau-
perum sum-
maria.

ante alio-
rum lites
terminanda.

Satisfatio
in iudicio.

Obj.

Resp.

rum & Principum habeant privilegium de non evocando, uti E-
lectores & Duces Saxoniae aliiqve; aut quod Principes Imperii ho-
die non ut Magistratus, sed ut Domini provinciis suis praesint,
adeoque ex notissimo Brocardico *Status tantum possint in suis*
territoriis, quantum Imperator in Imperio, Hillig. ad Donell. d.
l. lit. D. *Vultej. ad d. l. un. n. 20. & seqq.* Matth. Stephan. lib. 1. de
Jurisd. cap. 31. n. 44. & lib. 2. cap. 7. n. 30. seqq. Dn. Carpz. de L. Reg.
Germ. c. 1. sect. 13. Est & hoc non exiguum paupertatis privilegium,
quod causa inopum habeantur semper pro summaris, c. 2. X. de
prescript. ubi omnia in ejusmodi causis sine forali strepitu definire
se velle Pontifex respondet; uti & Imp. eas sine scripto decidendas
jubet, *Novell. 17. c. 3.* Rittershus. ad *Novell. par. 9. c. 3. p. m. 494.*
Marant. de *ord. jud. part. 4. dist. 9. n. 77. 78.* Imò si pauperes sint liti-
gantes & causa nullam admittat moram, processus irregularis lo-
cum habet. Dn. Carpz. in *proc. t. 1. art. 6. n. 10.* Etiam si autem regu-
lariter iudex possit in concursu plurium causarum, quam velit prius
terminare: fallit tamen hoc in egenorum causis, quae quia lites
pecuniam desiderant, citius terminari debent, quam divitum.
Eberh. Speckham. *cent. 1. q. 37. n. 27.*

§. 2. In judiciis litigaturos vel suo, vel alieno nomine, ad satisfac-
tionem praestandam & olim adstrictos fuisse certis casibus, non pot-
est esse non notissimum, & hodie actorem non possidentem bona
immobilia ad cautionem pro reconventionem & expensis teneri Sere-
niss. Elect. Sax. constituit in *ordin. proc. t. 13. & part. 1. Const. 5. verb.*
den Vorstand vor die Expens und zur Wiederklage. Satisfatio autem
fit datis fidejussoribus, l. 1. ff. *qui satisd. cog.* & quoties lex satisfac-
tionem desiderat, per fidejussores est cavendum, l. 7. ff. *de praet. stipul.*
l. 4. §. 8. ff. *de fideicom. libert.* Objiciunt hic quidam l. 1. §. 9. ff. *de Col-*
lat. ubi dicitur: *Caveri autem per satisfactionem oportere Pomponius*
ait. An pignoribus caveri possit, videamus: & Pomponius libro septua-
gesimo nono ad Edictum scripsit, & reis & pignoribus recte caveri de
collatione, & ita ego quoque puto. Ubi Ulpiano cum Pomponio con-
venit, quod aequè pignoribus sicut personis caveri possit, cum tamen
d. l. 1. ff. *qui satisd. cog.* absolutè circumferibat satisfactionem, quod
hac adversarium securum faciamus datis fidejussoribus. Natura igitur
satisfactionis est, quod fidejussoribus expediri debeat, non pigno-
ribus,

ribus, quod exsertis verbis *d. l. 1. §. 9. ff. de collat.* fatetur JCrus: ubi quaestio risum movere posset, nisi satisfactio in se & sui natura fidejussores complecteretur. Sed *d. l. 1. §. 9.* & pignoratiam cautionem admittit. Respondeo, hoc verum esse de cautione in genere, non de ea, quae fit per satisfactionem, cum haec sit species: aut dicendum, quod per fori interpretationem cautio extensa fuerit etiam ad pignora, vel, quod probabilius est, si ille, cui satisfaciendum erat, consensiat. *Wissenbach. Diss. 7. ad ff. l. 20. Franzk. Comm. ad ff. qui satisf. cog. n. 8. & seqq.* Quid autem si actor laboret paupertate, neque pignora habeat, neque fidejussores possit invenire? Ne ab agendo in causa justa repellatur satisfactionis loco jurato illum cavere posse aequitati consensaneum est. *§. 2. Inst. de satisf. Auth. generaliter. C. de Ep. & Cl. Auth. sed hodie. C. de custod. reor. Nov. 112. c. 2. Ordin. proc. Jud. t. 13. verb. Endlichen zu leisten. H. Zoëf. Com. ad ff. qui satisf. cog. num. 7.* Quod ut habeat locum, duo requiruntur (1.) ut sit probata existimatio, nec suspectus de fuga. (2.) ut juret, se nec pignora, nec fidejussores adhibere summam diligentiam reperire posse; quod tamen de credulitate saltem intellectum volunt ad evitandum perjurium. *Dn. Carpzov. in process. tit. 9. art. 5. n. 28. & seqq. Idem in jurispr. forens. part. 1. Const. 5. def. 9. Ordin. process. d. 1. 13. §. 1. Do aber. verb.* Er habe so viel nicht in Vermögen / glaube auch / er könne durch angewendten möglichen Fleiß solchen Vorstand mit Bürgen oder Pfändern nicht bestellen etc. de quo & supra. Privilegium hocce ad pauperum tutores extendendum quoque esse statuunt, *arg. l. 32. C. de Episc. & Cler. Vid. Dn. Brunne man. ad b. l. Quod si pauperi creditori arrestum contra debitorem suum efflagitanti non praestò sint media, quibus Judici de indemnitate caveat, aut permittendus est juratoria cautioni; aut relinquitur nudae repromissioni, sec. Dn. Carpz. part. 1. Const. 29. def. 26. num. 4. qui secutus est Berlichium, de promiss. part. 1. concl. 74. ob eam rationem, quia creditor exhibendo instrumentum obligationis, debitorem non parum facit suspectum. Nicol. Boer. decis. 247. n. 9. Add. l. 3. in fine C. de verb. & rer. signific.*

§. 3. Quam quisque actione agere volet in judicio, eam edere non saltem cogitur, ut sciat reus, utrum cedere, an contendere malit, *l. 1. pr. ff. de edend.* Sed etiam edenda sunt instrumenta, quibus usus est ille contra reum, cujus interest eorum habere copiam, ut aptè actoris

Obj.

Resp.

Pauperes
jurato ca-
vent.

Ampl.

Forum nu-
de promiss-
sioni statur
nonnunquam.Editione in-
strumento-

rum

actoris intentioni possit respondere, & ut fides veri constet, *d. l. 1. § 3. l. 5. l. 6. C. eod.* Quamvis autem contra reus sua instrumenta actori edere regulariter non teneatur, *l. fin. C. eod.* sed actor ipse instructus venire, non ex domo adversarii probationes petere debeat, *l. 7. C. de testib.* interest enim rei ea non exhiberi, quod actore non probante reus veniat absolvendus, etiam si nihil ipse praestiterit, *l. 4. C. de edend.* Inter alia tamen favor paupertatis hoc operatur, ut in causis eorum, qui illa pressi sunt, reus ab actore paupere ad instrumentorum editionem adigi possit, *per tex. in l. 1. vers. ex causa. C. de edend.* ubi Imp. Antonino & cum eo Imp. Justiniano, qui in Codice omnia sua fecit, totum hoc negotium judici ex causae necessitate arbitrandum reliquit. Vid. H. Zoëf. *ad ff. de edend. n. 14. circ. fin.* Rutg. Ruland. *de Commiss. part. 2. lib. 5. c. 19. n. 10* Berlich. *p. 1. concl. 45. n. 44.* Pariter et si adversus omissam probationem restitutio specialiter minoribus tantum sit indulta, *l. 36. ff. de min.* interdum tamen & majoribus litigantibus, praesertim ex causa paupertatis, in integrum restitutionem in tali casu concedendam esse, Dd. existimant, cum difficultas semper excuset a mora, *arg. l. 25. ff. de min.* ubi & majoribus viginti quinque annis justis ex causis repetitio seu conditio datur, Vid. Mantzius *de restit. in integr. tit. 3. de Rest. Reip. n. 172. pag. 163.* Dn. Carpz. *part. 1. Const. 16. def. 17.* Nec minus a contumacia habent excusationem inopes, ut non incurrant ullam paenarum istarum, quae constitutae sunt *in l. 13. & 15. C. de jud.* praesertim si sint tales, ut non possint absque verecundia comparere. Maranta *de ord. jud. part. 6. vers. Contumacia. n. 5.* Ea propter si quis honestioris familiae in judicio attestari quid debeat, & quia male vestitus in publicum prodire vereatur, domi suae ad testimonium dicendum est admittendus, *c. 8. X. de testib.* Dion. Gothofr. *in prax. civ. tit. 3. lib. 1.*

§. 4. Ne indefensi reliquantur, qui ex defectu sumtuum jus suum persequi nequeunt, gratis administranda ipsis est justitia, ita, ut iudex earum causas sine sportularum audiat solutione *c. 11. vers. insuper. in fin. de Rescript. in 6.* gratis edat acta, examinet testes. Gail. *l. 1. obs. 43. n. 15. 16. l. 28. §. 2. ff. de Episc. & per.* Eadem ratione nec Notarii pro instrumento confecto mercedem flagitare possunt, Speckhan. *cent. 1. q. 37. n. 10.* & nuncii iudicis & ministri sine pretio executionem faciunt in citationibus & aliis. Maranta *de ord. jud. part. 4. dist. 9. n. 77.*

Reus reg. nō
gravandus.

Lim. nisi
actor sit
egenus.

Paupertas
excusat a
mora in
probatione.

Item a con-
tumacia.

Pauperes li-
tigant gratis.

54
n. 77. 79. 80. Mynsing. obs. 37. cent. 4. Cujac. ad. Nov. 17. pag. m. 93.
Sicut autem Medicus sine salario curat egenos: ita Advocati & pro-
curatores in Camera Spirensi sine ulla remuneratione illis inservire
tenentur, & ad hoc compelli possunt, non solum sub poena pecuni-
aria, sed etiam privationis officii. Gail. lib. 1. obs. 43. n. 11. 12. 13. Hinc
& in aliis bene constitutis Rebus publicis pauperibus litigantibus
ex officio publicis impensis dantur & aluntur causarum Patroni,
quos pauperum advocatos appellare moris est, Matth. Coler. de pro-
cess. execut. part. 1. c. 2. num. 121. Ventur. de Valent. in parthen. litig.
lib. 2. c. 9. n. 25. quod & in Electoratu Saxonico receptum, Ord. Cur.
prov. Lips. de ann. 1549. tit. End des Advocaten der Armen etc. Ordin.
Appellat. tit. Von den Advocaten der Armen. Dn. Carpzov. in process.
tit. 12. art. 5. n. 53. & seqq. & tit. 24. art. 1. n. 8. itemq; in aliis Du-
cum Saxoniae terris; id quod ostendit Novissima Instructio Ducalis
Archidicasterii in inferioris Lusatiae Marchionatu de ann. 1666. c. 8.
verb. Nach dem wir endlich auch die Armen und Dürfftigen nicht
Hülfflos zu lassen höchst nöthig erachten / daß ein *Advocatus pauperum*
verordnet / bey der Regierung / wie in andern *judiciis* bräuchlich / in
Pflcht genommen / und mit gewisser Bestallung versehen werde / so sol-
len unsere *President* und Räte einen aus denen uns verpflichteten *Ad-*
vocaten hierzu bestellen. Aliter adhuc prospectum est litigantibus,
maximè in Camera & in terris Saxonice: interdum enim sumptus
litis inopibus ex fisco subministrantur, Ordin. proc. tit. 1. §. Ob wir
auch wohl. *ibi*: Oder auffer demselben von den Gerichten mit noth-
wendigen Verlag des Processes versehen werden soll; interdum verò,
licet aliàs nemo teneatur adversario suo contra seipsum expensas
litis suppeditare, in quibusdam casibus tamen, ut, si e. c. litigat
quis super bonis, quæ prætendit esse communia, vel ad se pertine-
re, & præsumtionem pro se habet, adversa pars ad impensas adver-
sario erogandas adstringitur. d. Ord. proc. all. loc. verb. und daß es
in gewissen Fällen von seinem Gegenpart &c. Ita ann. 1666. d. 1. Ju-
nii, à Ducalis Archidicasterii in inferiore Lusatia Collegio eminent-
issimo mandatum esse scio Generosissimo Dn. Comiti de Promnitz
in causa I. V. K. & G. P. ut curet parti inopi ab adversario sumptus
subministrari, his verbis: Wiedrigen falls aber / und da sie in güten
nicht zu vergleichen / und *Supplicans* sein angezogenes grosses Unver-
mögen!

*Advocatus
pauperum*

*Publicis ex-
pensis liti-
gant inter-
dum inopes.*

*Aut à par-
te adver-
sa submini-
stratis.*

Pauperi
dantur ali-
mēta ab ad-
versario li-
sem pro tra-
bente.
Ut habeat
locum pri-
vilegium
paupertatis
in processu
quatuor re-
quiruntur.
1. Cause co-
gnitio.
2. Juramen-
sum pau-
peritatis.
3. Demon-
stratio ino-
pia.

mögen/das er nichts mehr auff diesen Proceß zu wenden habe/beschei-
nigen/oder nach Befindung endlich erhalten würde/so daß die Unkosten/
die auff *Supplicantens* Part kommen/von seinem gegentheil erlegen lasset.
Hic non prætereundus est ille casus, quando disceptatur de causa
inofficiosi testamenti à nepote quodam, contra scriptum hæredem
ac pro illo pronunciatum est, scripto verò hæres, antequam sententia
in rem judicatam transiret, ab eadem ad iudicem immediatè proxi-
mum appellavit: quâ Appellationis instantiâ cum adversarius non
nisi agrè facere & moras longasnectere velit actori, interim usq; ad
finem litis, propter inopiam, agenti ab ipso appellante alimenta sub-
ministranda sunt, per l. 27. §. 3. ff. de inoff. test. ita ut nec à petente
tunc sit exigenda cautio, quæ alias injungi solet. Boërius decis. 324.
col. 2. Hactenus enumerata ut procedant, ante omnia quatuor sunt
observanda Nam (1.) opus est, ut præviâ cognitione iudex inquirit,
numa subsit justitia causæ. Ordin. process. Saxon. d. t. 1. §. Dieweil
sich aber. verb. So soll man in *caussis pauperum* gute Achtung drauff
haben/damit dieselben nicht alsobald absq; discrimine angenommen
und zum Proceß verwiesen/sondern vor allen dingen summarischer
weise *cum aliqua causa cognitione* erwogen werden/ Ob und wie weit
der Kläger mit seinen *pretendierten* Recht fundiret. Dn. Carpz. in proc.
tit. 24. art. 1. n. 81. (2.) ut præstet juramentum paupertatis, qui pro
paupere se venditat & horum jura atq; Advocati auxilium implorat,
quò mediante affirmat se in bonis non habere ultra quinquaginta
florenos. d. Ordin. process. tit. 1. §. Würde sich nun. ibi: Im gegen-
fall aber soll man ihnen den Proceß verstaten/ sie das *Juramentum*
paupertatis schweren. Dn. Carpz. in proc. tit. 12. art. 5. n. 52. seqq: (3.)
Antequam ad juramentum hoc paupertatis quis admittatur, necesse
habet, ut fidem faciat de inopia ac testimonium desuper à Ma-
gistratu suo exhibeat. d. Ord. proc. all. loc. verb. Nach eingenomme-
ner Erkundigung. Dn. Carpz. in process. t. 12. art. 5. n. 59. Idem part.
1. Const. 23. def. 14. Cum quibus consentit *superius allegata* novissi-
ma instructio Archidicasterii in inferiore Lusatia, d. c. 8. ibi: Ste-
ben aber die Bescheidenheit brauchen/das nicht leichtlich jemand zu
dem *Privilegio paupertatis* gelassen werde/ er habe denn zuvor seit
eufferstes Armuth bescheiniget/oder endlich erhalten. Ratio esse potest,
quia ad juramentum, sive suppletorium sive purgatorium id quis
nuncu-

55.
nuncupare velit, absq; sufficientibus indiciis & semiplena probatio-
ne non est properandum. *c. ult. X. de jurej. Dn. Carpz. in process. d. loc.*
n. 63. (4.) Caveré debet, qvò potest modò, se soluturum expensas in 4. *Cautio.*
casu victoriæ, aut si aliis modis ad pingviorem venerit fortunam.
Ord. Cam. part. 1. tit. 41. Berlich. part. 1. concl. 7. n. 84. & seqq. Ratio
est in vulgato illo, qvòd nemo debeat locupletari cum alterius jactu-
ra. *l. 206. ff. d. R. I.*

§. 5 In Appellationum materia ne ob sumtuum defectum de
jure suo periclitentur pauperes, illis fatalia introducendæ & justifi-
candæ appellationis non dicuntur currere, ut illa non censeatur
deserta, si debitum tempus non fuerit observatum, propter impossibi-
litatem, quæ, ut suprâ notatum est, non obligat, & propter difficul-
tatem, quæ excusat à mora. Nam Imp. Diocletianus & Maximia-
nus in *l. 5. C. de Appell.* itemq; Justinianus Imp. in *Nov. 49. præ-*
fat. §. 1. vers. per aliam quamlibet causam inevitabilem: casus fata-
les excusationem præstare clarè monstrant. Quin autem paupertas,
in quam sine culpa nostra delabimur, inter inevitabiles casus sit
referenda, nullum est dubium. *Gail. lib. 1. obs. 142. n. 1. & 2. Myn-*
sing. cent. 4. obs. 97. Ampliatur hoc, ut si quis ob impotentiam non
potuerit justificare Appellationem, non modò secundum fatale
ipsò jure illi competat, sed eò quoq; elapsò, tertium ope restitutio-
nis in integrum concedendum sit. *d. Nov. 49. præf. §. 2. ibi: propter*
inopiam: & in fin. verb. dare presidium possibile cupientes. gloss. in
Auth. ei qui. C. de temp. Appell. Innocent. in c. ex ratione 8. X. de ap-
pell. n. 2. Panormitan. ibid. n. 2. Et quæ non excusaretur talibus in
casibus egenus? Morti quippe solet conferri paupertas, *gl. in l. 2. ff.*
sol. matrim. Menoch. consil. 1220. sicuti & metus amissionis omnium
bonorum æquiparatur metui mortis, *Reyherus in thesaur. juris, voc.*
Paupertas, ita, ut idem dicatur operari paupertas, quod mors, maxi-
mè circa dilationem legalem. *Seb. Med. in tr. mors omnia solvit. p. 1.*
n. 103. pag. 36. Major dubitatio in eo vertitur, si quis omninò decen-
dium interponendæ appellationis elabi passus fuerit, an paupertas
eis prætextu excusetur? Distingvit *Gvido Papæ decis. 436. num. 22.*
inter appellationem à sententia, sive interlocutoria, sive definitiva,
ex intervallo, quæ in scriptis fit, & eam, quæ in continenti vivâ voce

*Et talia Ap-
pellationis
non currunt
pauperibus.*

Ampl.

Qu.

Resp.

F

à defi-

à definitiva interponitur. Priori casu cum impensæ pro appella-
tionis schedula sint faciendæ, penuriam excusare æquum iudicat;
posteriori non item, quod ibi nulli sumptus sint erogandi. Hieron.
Magon. *part. 2. decis. 40. n. 8.* Myaling. *d. cent. 4. obs. 97.* Gail. *d.*
loc. n. 3. Sed Jason. *ad l. 17. C. de procurat. n. 8.* indistinctè conclu-
dit, etiam pauperi currere fatale interponendæ appellationis, idè,
quod minimæ sint impensæ, quæ ad hoc requiruntur; quam opinio-
nem à Camera approbatam esse confirmat Gailus *d. loc. n. 4.* Ipse
tamen Autores istos dissentientes tali conciliare nititur distinc-
tione; ut, si paupertas coram iudice primæ instantiæ allegata sit & pro-
bata benignior Gvidonis opinio procedat, quia jam iudici, ut ju-
dici, constet de paupertate, atque ita excusetur desertio: sin post la-
tam demum sententiam coram iudice ad quem paupertas allegetur,
Jasonis assertum habere locum, & absque ulla distinctione infra-
decendum appellandum aut de paupertate docendum esse, asserit,
cum paupertas consistat in facto; facta autem non præsumantur,
sed sint probanda, quorum neutrum si fiat, sententia transeat in
rem iudicatam. Gail. *d. loc. n. 5.* Quæ distinctiones Gvidonis Papæ
& Gailii fortè admitti hæcenus poterant, modò hoc expeditum illis
esset, an pauper etiam notoriè talis in eo privilegium habeat, quod
ipsi fatalia interponendæ appellationis non currant. De quo qui-
dem mihi neque ex Canonico, neque ex Civili jure constat; neque
l. 8. §. 7. ff. mandati. Gvidoni citata quicquam probat. Putarem
itaque pauperi, de quo etiam satis constat, ipsum talem esse, omni-
no currere fatalia interponendæ appellationis. Nec obverti potest,
quod Advocato aut Actuario expensæ sint solvendæ. Nam eum ju-
dici cognita satis sit appellantis inopia, ipse partes suas interponet,
ne vel Advocatus vel Actuarius propterea fatalia remoretur.

§. 6. Postquam sententia à iudice competente lata transivit in
rem iudicatam, aut in secunda instantia fuerit confirmata, nil super-
est, nisi ut mandetur executioni: Ut enim leges sine executione
nullum habent in Republ. usum: sic sententia quoque carens execu-
tione, nullas habet vires. Igitur si e. g. in causa debiti pro actore
pronunciavit iudex, certus terminus præfigi solet, intra quem nisi
solvat debitor, in ejus bona paratam executionem concedit iudex.

Terminus



Terminus iste olim erat arbitrarius, l. 31. ff. de re jud; de jure Co-
 dicis autem quadrimestris. l. 2. l. fin. C. de usur. rei jud. Jure Saxo-
 nicò solutionis terminus circumscibitur spatiò sex septimanarum
 triumq; dierum. Sandr. lib. 1. art. 70. junct. gloss. n. 9. & lib. 2. art. 24.
 in princ. Weichbild. art. 27. & 64. Nihil tamen prohibet, quò mi-
 nùs jus dicens, si prematur inopiã debitor, & creditor polleat facul-
 tatibus, possit, attentã illã causã paupertatis, ex officio tempus ad
 solvendum longius præfigere condemnato. Colerus de proc. execut.
 part. 3. c. 6. n. 12. Optimè hæc trahi potest l. 2. ff. de re jud. ubi dici-
 tur: *Qui pro tribunali cognoscit, non semper tempus judicati servat,
 sed nonnunquam arctat, nonnunquam prorogat, pro causæ qualitate
 & quantitate, vel personarum obsequio, vel contumacia; sed per-
 raro intra statutum tempus sententiæ exequentur, veluti, si alimenta
 constituentur, vel minori viginti quinque, annis subvenitur.* Qui textus
 maximè notabilis est: inde enim elicitur, quòd sicut ob alimenta
 & minori decernendam in integrum restitutionem, iudex termi-
 num executionis dilatare potest; ita quoq; ob paupertatem, cum
 pauperes æquè, ut alimentandi & minores, sint miserabiles. Dein-
 de exceptio inopiæ datur ad impediendam sententiæ executionem,
 ut non cogatur quis restituere id, quod non potest, c. 16. X. de restit.
 spoliat. c. 5. X. de usur. & aliàs inanis dicitur actio, quam inopia de-
 bitoris excludit. l. 6. ff. de dol. mal. Deniq; in l. 2. C. de execut. rei
 jud. miserationis gratiã conceditur condemnatis dilatio, ut, si no-
 vatio intercesserit post rem judicatam, ex stipulatu competat actio,
 l. 4. §. 4. ff. de re jud. ea enim est natura novationis, ut primam ob-
 ligationem perimat, & novam constituat. l. 1. ff. de novat. Hæc
 autem dilatio saltem in civilibus locum habet, non in criminalibus.
 Unde Gvil. Ant. de Freundenberg. de Rescript. morat. tit. 7. concl. 38.
 n. 23. & 24. ex Sebast. Medic. de cas. fortuit. part. 2. quest. 4. num. 18.
 scribit, paupertatem seu inopiam differre solutionem in civilibus,
 secus in criminalibus.

*Pauperibus
 longius da-
 tur spatium
 solvendi*

*Exceptio ad
 impedi-
 dam execu-
 tionem.*

Dilatio.

*In civilibus
 causis.*

§. 7. Coronidis loco quærere lubet, an contra illum qui al-
 teri paupertatis fordes objecit, competat actio injuriarum. In-
 distinctè id nonnulli affirmant. Alii distinctione rem componunt,
 arbitantes, si ex scelere quis pauper sit, hoc casu non competere ei
 F z actio-

*Qu.
 Rest.*




Dist.

actionem injuriarum, quia peccata nocentium nota esse & oportet & expedit, *l. 18. pr. ff. de injur. l. 31. pr. ff. de pos.* si verò non ex crimine, sed inopinatò fortunæ impetu amiserit rem familiarem, tenere actionem: nec enim est, quòd huic imputari queat, *arg. l. 135. ff. de V. S. l. 2. §. 3. l. 4. §. 1. ff. si quis caut.* Quare qui talibus objiciunt inopiam, naturæ accusatos arguuntur, *arg. l. fin. vers. qui enim. C. de lib. prater.* Ut mentem meam exponam, rectius distingvendum videtur, an aliquis contumeliæ inferendæ causâ alteri paupertatem objecerit, an minus. Posteriori modò, cum animus injuriandi absit, nec actioni injuriarum locus erit. Priori modò autem indistinctè actio injuriarum fundatur, non attentò discrimine, an quis suâ culpâ, vel infortuniò ad incitas redactus fuerit, cum injuriandi animò factum hoc intelligatur, ita, ut onus probandi contrarium in convitiantem transferatur, *per tex. in l. 5. C. de injur. ibiq. Dd. & Anton. Perez. in Praelect. n. 2. & 5. Hier. Magon. part. 2. decis. 26. n. 22.* Ratio, quia in actione injuriarum non tam veritas convitii, quàm libido & voluntas injuriandi, ceu substantiale requisitum consideratur, *per texx. in l. 3. §. 1. ff. de injur. l. 35. pr. ff. de furt. l. 3. C. de offic. rector. provinc.* Non enim debet quis alterius vitia sine justa aliqua causa detegere; quia defectus nostros detegi inhumanum & injuriosum est, *per tex. in l. 2. pr. C. quand. & quib. quart. pars. deb. lib. 10. pulchrè Gail. lib. 2. obs. 99. Welsemb. in Paratit. ff. de Injur. n. 8. ibiq. Hahn. in observat. Vultej. ad §. 1. §. de injur. n. 3.* His terminis diffusam paupertatis materiam pro tempore & instituto meo inclusisse sufficiat. Plurima, quæ dicta sunt, minus acutè dicta esse; plurima, quæ debebant dici, omissa, non eo inficias. Veruntamen proposito satisfactum reor, qui ex amplâ segete, quædam velut delibavi tantum, relictò minus occupatis solidæ pertractationis labore. Et cum penitus in nullo peccare divinitatis magis, quàm mortalitatis sit, *l. 2. §. 14. C. de Vet. Jur. enucl.* à benevolo lectore facilè veniam me impetraturum spero. Ei verò, à quo exorsus sum, DEO immortali ago

IMMORTALES GRATIAS!







ULB Halle
003 007 642

3




86

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

22 32
1872 19

INAUGURALIS

GULARI TATIS,

ente gratiâ,
gnifici Juris-Consultorum
oréa Ordinis,
IDE

E CONSULTISSIMO,

HORO RZEEER

xoniæ Consiliario Appella-
cultatis Juridicæ Asses-
sismo,

imò affectu colendo,
DOCTORALI,

unitatibus & honoribus
nenda,
discutiendam sistit

NDREAS RZEEER

s Luccaviensis in inferiori
yndicus,
Aprilis
pomeridianis.

BERGÆ,
/Acad. Typogr. ANNO 1672.

